BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
8
4 B
20

Digitized by Google

Digitized by Google

GEORGII CONÆI

ASSERTIONVM CATHOLICARVM

LIBRI TRES.

In quibus ex ſolo ſcripto Dei verbo præcipua hæreſum ætatis noſtræ dogmata refelluntur:

AD SANCTISSIMVM D. N.

VRBANVM VIII.

Veræ, & Catholicæ Eccleſiæ Pontificem Maximum.

Omnis ſermo Dei ignitus: clypeus eſt ſperantibus in ſe. Prou. 30.



BIBL. VITTORIO EMANUELE IN ROMA

ROMAE, Apud Hæredem Bartholomæi Zannetti. 1629.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. P. Magiſtro ſacri Palatij Apoſtolici.

A. Epiſc. Hieracen. Viceſg.

Imprimatur.

Fr. Nicolaus Rodulfius ſacri Palatij Magiſter, ac Ordinis Prædicatorum Vicarius Apoſtolicus.

Digitized by Google

VRBANO OCTAVO
PONTIFICI OPT. MAX.
GEORGIVS CONÆVS.

BEATISSIME PATER

QVamuis BARBERINO nomini, ab ipſa ferme pueritia,indiſſolubili ſacramento deuotus, ad illius patrocinium indicta cauſa accedere poſſim:nolo tamen in præſentia meo, ſed operis, quod offero, iure vti. Hoc certè ad ſacros Tuos pedes tanta cum fiducia prouolat,vt me, magnis licèt accurrentem paſsibus, quaſi negligentiorem trahat. nec mirum. Te nempe, Beatiſsime Pater, fatale hæreſium flagellum, certaturus pro Catholica veritate libellus, agonothetam, & patronum ambit. Iuſtum eſt quod petitur,nec ab æquiſsimo Principe denegandum. Quid enim hoc loco commemorare attinet, quæ omnibus nota ſunt,

Digitized by Google

de priſca,& innata BARBERINAE gentis erga Catholicam Fidem, Sedemque Apoſtolicam reuerentia? Quæ, nutantibus in Romani Pontificis obſequio multis Florentinorum Familijs, vt in liberis Ciuitatibus plus æquo fieri ſolet, factioſæ LIBERTATIS titulum quingentis totis annis, quibus illa in Republica patricio honore floruit, conſtanter auerſata eſt; & ſuo exemplo mortales docuit, diuinum imperium humanæ libertatis priuilegia non conuellere, ſed ſtabilire; non tollere, ſed augere. Auitam hanc erga Dei Eccleſiam obſeruantiam cùm optimè perſpectam haberet ſapientia, atque probitate clarus Clemens Octauus, Te potiſsimum è Ciuium ſuorum numero, in Galliam falſorum dogmatum procellis miſerè tunc vexatam, Nuncium delegauit; qui ſpectatam Maiorum pietatem meritis proprijs, in difficillima palæſtra clariorem, atque ampliorem redderes. Quo in munere adeo cumulatè expectationi hominum feciſti ſatis, vt Paulus Quintus Clementis amorem, ſtudiumque in Te ornando ſuperare cõtenderit; cuius beneficio in ampliſsimum Cardinalium Senatum aſcitus, Galliam non tam purpuræ ſplendore, quàm virtutum radijs illuſtraſti. Hinc

frequen-

frequentes Procerum aliquot hæreticorum ſponſiones, ſe Romanæ Eccleſiæ Fidem ſuſcepturos, ſi Tu cum ſummi Pontificis dignitate eidem præficerere. Ita nimirum conſtans erat omnium de Tua integritate opinio, vt maximum Dei erga illam Eccleſiam curæ argumentum haberetur, quam Viro omnibus animi corporiſque dotibus ad miraculum ornato regendam committeret. Tui profectò mores, Tua pietas, ſolerſque in rebus gerendis induſtria, tot præclara laudum encomia ab acerrimi ingenij Principe Henrico Quarto meruerunt, quot nec antea quemquam, nec poſt Te vllum cohoneſtatum ſcimus: cuius obſtinatam in grauiſsimis negocijs conſtantiam tanta felicitate expugnaſti, vt dubium ſit, an armata vetus Romanorum potentia, victricibus Legionibus, ab inuictiſsimo Duce extorquêre potuiſſet, quæ Tu vnica, ac propria Tibi orationis prudentia ad Pontificij imperij munimentum impetraſti. Quæ autem in Scotis, Græciſque ad Catholicæ Eccleſiæ gremium reuocandis, in Vrbem redux feceris, vtriuſque populi annales fida ad poſteros narratione tranſmittent. Hæc omnia licèt per ſe egregia, mihi parua videntur, animum

ad primum auſpicatiſsimi Pontificatus Tui diem reflectenti. Quanta, bone Deus, Vrbis lætitia! qui ordinum plauſus! quæ vota nationum! cùm omnes ſibi gratularentur electum tandem Paſtorem, qui Græciam, Germaniam, Britãniam, ceteraſque Prouincias iam dudum à Romanæ Sedis obedientia auerſas, ad Chriſti ouile eſſet reducturus. Quæ ne incaſſum quis dicta putet, adfuit vocatus Deus; qui pugnacium Moyſis precum memoriam renouans, dum Tu eleuata dextera Vrbi Orbique benediceres, impias Alberſtadẽſis Pſeudoepiſcopi copias, extremum Religioni exitium minitantes, profligauit. Felicia hæc auſpicia longa deinde victoriarum ſeries ſubſecuta, omnia proſpera, omnia fauſta Chriſtiano Orbi, Te Pontifice, ſpondent. Victricia Cæſaris, & Catholici fœderis arma, pro quibus Tu aſsidua vota fundis, vniuersâ penè Germaniâ in poteſtatem redactâ, effrænatam Saxonum duritiem fregerunt, intimos Cimbricæ Cherſoneſi receſſus penetrarunt, & iam vaſtis Septemtrionum oris Albi, atque Oceano domitis imminent: inſolita illis in locis ſpectacula. Bohemia Regnum nobile, quod ipſos ducentos annos Deo, Deique Vicario infen-

ſum

ſum, nouis ſuperſtitionibus ſedem nuper promiſerat, tam à veteribus Huſsitarum, quàm à recentibus Lutheri,& Caluini hæreſibus purgatum, ab VRBANO OCTAVO præteritorum errorum veniã, & reſtituendæ veritatis miniſtros ſupplex expetit. Neque Germania ſola, quamuis prima, pietatis tuæ fructus experta eſt: Hiſpania, Belgium, atque Gallia ſuas quoque palmas oſtentant. Gades fortiter propugnatæ, Breda expugnata, & Rupella pijs Ludouici armis ſubiugata. Galli profectò nunquam diuina Regis ſui facinora recolunt ſine immortali Tua gloria: qui naſcentem Principem ardentibus pietatis flammis inter lauacri baptiſmalis vndas afflaſti. Quid plura? quoties Catholicorum Principum exercitus de profligata impietate optatas victorias retulerunt, toties VRBANVS OCTAVVS deſiderij, ac votorum compos triumphauit. atque vtinam Chriſtiani Proceres poſitis odijs, quibus ſe mutuò conficiunt, Te ad beata vocantem certamina audirent: experirentur ſecundiore exitu, quàm felix fortunatumque ſit Rei Chriſtianæ ſeruãdæ, atque augendæ, VRBANI nomen. Quod dum anxijs votis ab exercituum Domino optant boni, ipſe ſub pientiſ-

ſimi Principis auſpicijs exiguam, ſed minimè ſpernendam, manum cõtra hæreſim in aciem duco: vt per huiuſmodi velitationis rudimenta animum ad maiora prælia pro Dei Eccleſia ſubeunda præparem; atque vt literarum cultores, adoleſcentis rerum aulicarum non planè ignari exemplo, diſcant, ſe VRBANI Pontificis gratiam nullo ſtudiorum genere æquè demereri poſſe, quàm quibus præſidium, decus, aut incrementum Religioni creatur. Tu interim, Beatiſsime Pater, ſacram illam dexteram cæleſti plenam virtute, qua remotiſsima quæque hæreſium monſtra proſternis, qualicunque huic operi benignam admoue. Iube tantùm, vt vincat: &, vel ſolo Tibi obſequendi ſtudio, vincet. Romæ in Illuſtriſsimi Franciſci Cardinalis Barberini comitatu. iv. Kal. April. Anno Domini MDCXXIX.

LE-

LECTORI CATHOLICO S.

SAT Patriæ, Priamoque datum eſt. Petitam iniquis Sectariorum calumnijs Mariæ Stuartæ famam ab iniuria, vt potui, vindicaui: redacta propemodum in cineres flebili hæreſis incendio pietatis Scoticæ monumenta decori priſtino reſtituere ſum conatus. Neque eſt quòd me huius, vel illius operis pœniteat; cùm ex vtroque fructus præter expectationem vberes prouenerint. Quàm enim vtilis fuerit liber de duplici ſtatu Religionis apud Scotos, (ne quid de altero nunc dicam) vno, ſed illuſtri exemplo cognoſcere poteris, quod ampliſſimus Senator Nicolaus Faber Pereſius literis ſuis ad Illuſtriſſimum Principem Franciſcum Cardinalem Barberinum perſcripſit: celebrem, ac pertinacem Sectariorum Anteſignanum, in quo ad Catholicæ veritatis agnitionem reducendo multi fruſtra laborauerant, lecto hoc libro, priſcam maiorum

iorum

Digitized by Google

iorum ſuorum fidem vltro amplexum eſſe. Quo teſtimonio quamuis iure merito multũ mihi gratulari poſſim (eius quippe viri eſt, quem ob prudentiam, & ſingularem eruditionem, tum etiam ob inſigne erga literas, & literatos omnes ſtudium, noſtra ætas miratur) quicquid tamen ille meis ſcriptis, id ego Deo bonorum omnium authori; & immortalibus Barberini Cardinalis *meritis, ſub cuius patrocinio opuſculum illud conceptum, atque in lucem editum fuit, acceptum refero. Hic nempe ingenij mei agellum aliquot nunc annos colere, fouere, atque illuſtrare non eſt dedignatus: cuius Aula ita doctis viris abundat, vt difficilè incidas in vllum, à quo plurima ſcitu digna non audias: cuius menſam rhedamque, gymnaſium, vel eruditorum hominum circulum, rectè dixeris: cuius denique ſermo familiaris tanta ſapientia conditus eſt, vt audientes obſtupeſcant, animum tam vaſtis totius Chriſtianæ Reipublicæ curis diſtrictum, omni nihilominus doctrinæ genere ita inſtructum, atque eorum, quæ lecta olim vel audita fuerunt, adeò tenacem, ac ſi ab alijs negotijs vacuus, literis tantum indulgeret. Vnde dum ſuperiore anno comiter ex me quæreret, ecquod tempus in lucubrationes ſupereſſet? ſine vlla adu-*

latio-

lationis nota reſpondere potui, illud ſaltem, quod ipſius obſequio præſens impenderem: à quo non modò exempla, ſtimuloſque, verùm ſubſidia quoque ſtudiorum hauriũt familiares. Huiuſmodi ego copijs munitus animum ad Catholicæ Religionis cauſam ex profeſſo tractandam adieci, quam à Parentibus vna cum lacte perceptam, neque vlla vnquam auorum defectione contaminatam (quod in Regno hæreſi vndique corrupto magni patrimonij loco habeo) ſanguinis potius quàm atramenti profuſione defendere ſemper optaui. Quocirca nullus, vt ſpero, inſtitutum meum reprehendet, aut temeritatis damnabit, quòd multorum ingentia volumina de Fidei controuerſiis optimè ſcripta, me ab incepto non deterruerint. Nam licet aliorum præclara facinora, vt par eſt, venerabundus ſuſpiciam: conandum tamen fuit, vt quemadmodum illi magnorum Ducum, ſic ego gregarij militis partibus ſatisfacerem. Vbi enim communis Reipublicæ cauſa agitur, omnes pro ſuis quiſque viribus, ad opem ferendam tenentur. Interim ne Aduerſarijs vllam detrectandi certaminis anſam præbeam, vnico ſcripto Dei verbo armatus in arenam deſcendo. hic mihi clypeus, hic enſis, quo me tuear, & hoſtem feriam. Senſum illius

obuium,

obuium, receptumq. vrgeo: vt liquidò percipiatur, quibus tandem Scriptura faueat. Differendi genere vtor non ſtricto illo Dialecticorum ſcholis vſitato, aut fuſo Rhetorum; ſed modico, & temperato: quod ita à barbarie vindicatum erit, vt ſine Latini ſermonis diſpendio vtcunque legi poßit. Rigidis tamen Criticorum cenſuris id minimè expono; nam cùm multa ſint in Religione Chriſtiana Ciceroni, Quintiliano, cæteriſque Romanæ facundiæ parentibus incognita, nolui orationis elegantiam anxiè nimis affectare. Tu conatum hunc meum æqui bonique conſule, & Vale.

LE-

LECTORI HAERETICO,

Diuinæ gratiæ lumen, & Catholicæ veritatis agnitionem.

NON me ingenij oſtentandi libido, non inanis gloriæ cupiditas, vel litigioſæ diſputationis amor; ſed ſtudium veritatis, orthodoxæ Religionis honos, atque pius tibi, tuæque ſaluti inſeruiendi ardor in præſens certamen protraxere. Nihil ergo eſt quod ſuſpiceris, nihil quod formides: omnia ſincera, omnia tuta, omnia proſpera experieris. Aduerſarium habes adeo tui amantem, vt nec propriæ vitæ impendio victoriam tibi parare refugiat. Paria vtrimque arma, ſcriptum Dei verbum. Hoc ſi in animum tuum penetrauerit, fœlici vulnere ſanaberis. Iudicem tuam appello conſcientiam; ſed, ſepoſito tantiſper partium ſtudio, nulli præconceptæ opinioni mancipatam. Quocirca audacter contra congredere; & quàm æqua pugna, quàmque facilis te victoria maneat, cogita. Si quid interim

Digitized by Google

interim acerbius inter ſcribendum contra hæreticum nomen mihi exciderit; id hæreſim ipſam, vel primos venenati dogmatis authores, qui cùm ipſi naufragium Fidei fecerint, ſectatores quoque ſuos ijſdem errorum vorticibus immergere laborarunt, petere ac perſtringere ſcias; non te, quem Chriſtus diſcuſſis ignorantiæ tenebris, & ſedatis turbulentæ impietatis procellis, ad tutum, ac tranquillum Eccleſiæ portum vocat. Tu vocantem audi. ita valebis, æternumque viues.

IN-

Digitized by Google

INDEX ASSERTIONVM.

LIBER PRIMVS.

De fundamentis Chriſtianæ Religionis, quæ à Nouatoribus conuelluntur.

ASſertio I. *De Deo.*
Aſſertio II. *De Scriptura, ſeu verbo Dei ſcripto.*
Aſſertio III. *De Traditionibus, ſeu verbo Dei non ſcripto.*
Aſſertio IV. *De Eccleſia.*
Aſſertio V. *De Concilijs.*
Aſſertio VI. *De Eccleſiæ Doctoribus.*
Aſſertio VII. *De Miraculis.*
Aſſertio VIII. *De Authoritate humana.*

LIBER SECVNDVS.

De ijs Fidei dogmatibus, quæ à Nouatoribus corrumpuntur.

ASſertio I. *De Chriſto.*
Aſſertio II. *De Peccato.*
Aſſertio III. *De Iuſtificatione.*
Aſſertio IV. *De Fide.*
Aſſertio V. *De Sacramentis.*
Aſſertio VI. *De numero Sacramentorum.*
Aſſertio VII. *De Euchariſtia.*
Aſſertio VIII. *De Prædeſtinatione.*

Digitized by Google

LIBER TERTIVS.

De ijs Fidei capitibus, quæ à Nouatoribus omnino negantur.

Aſſertio I. *De Præceptorum Decalogi obſeruatione.*
Aſſertio II. *De Votis Monaſticis.*
Aſſertio III. *De bonis Operibus.*
Aſſertio IV. *De Indulgentijs.*
Aſſertio V. *De Purgatorio.*
Aſſertio VI. *De Sanctis.*
Aſſertio VII. *De Imaginibus.*
Aſſertio VIII. *De libero Arbitrio.*

GEOR-

GEORGII CONÆI ASSERTIONVM CATHOLICARVM LIBER PRIMVS.

De fundamentis Chriſtianæ Religionis, quæ à Nouatoribus conuelluntur.

ASSERTIO PRIMA.

DE DEO.

NON ea nunc ſunt tempora, quæ olim fuere, dum viuentis Dei nomen in exiguo terrarum Orbis angulo coleretur: neque cum illis hominibus ſermonem ſum habiturus, qui debitos æterno Numini honores in caducos naturæ partus, aut deliræ artis figmenta transferunt. Quare illa omnia mihi de ſumma illa Maieſtate acturo tacenda erunt in præſentia, quæ melior, maiorq. hominum pars pro veris abſque controuerſia agnoſcit. Et licèt plurimi, proh dolor! inueniantur, qui in corde ſuo aut Deum negant, aut ſolicitam ipſius, etiam de minimis, prouidentiam in dubiũ

Digitized by Google

vocant. Hos ego conſcientiæ malè ſibi conſciæ flagello torquendos, & ſeueris nationum omnium legibus obnoxios, æternis, niſi ad meliorem frugem redeant, apud Inferos cruciatibus puniendos relinquo. Quorum inania argumenta, quæ ipſi defendere nec poſſunt, nec audent, minimè attingam. Quid enim ſtultius, quàm hoſtem, quem in ergaſtulo vinctum habes, tuis armis, vt de victo triumphum agas, induere? abſint tales victoriæ: ocioſorum labor eſt, condere vt deſtruas.

Plurima ſunt in hac rerum vniuerſitate, quæ humanum captum omninò ſuperant; multa, quæ aliter longè quàm nonnullorum fert ſententia, reguntur. Hinc inanes in miſellis cerebris naſcuntur diſputationes; hinc rixæ graues, atque perplexa dubia, an Deus ſit, an rerum noſtrarum curam gerat. Phidiam aliquando fuiſſe credis monſtranti ſtatuam ab eo efformatam: & Deum, cuius quid niſi opera vides, cuius tu opus es, ſtolidè non minus, quàm impiè negabis? Tu patrem familias domus ſuæ curam negligere aſſeres, ſi aut filium à ſeruo verberibus corripi, ſi camporum flores falce, aut aratro atteri, ſi frumenti grana immundis glebis confundi, ſi incìdi arbores, putari vites, atque alia huiuſmodi imperet? Sed hæc, inquies, ſalubria fuiſſe longa annorum experientia comprobauit. Ita tu quidem, qui ratione duce ex prædicta rerum confuſione benè moratos pueros, frumenti, vini, ac fructuum copiam, aliaq. humanæ vitæ commoda oriri cernis. Non ita formica iudicat, quæ agrum ſciſ-

ſum, nec cicada, quæ euerſos flores, nec aranea, quæ truncas vites maximo ſuo damno experiuntur. Quis dubitat animalia illa, ſi loqui ſcirent, querelis grauibus contra homines actura? atque hæc quidem in quotidianis naturæ ipſius operibus. Quòd ſi ad humana accedamus, qualia ſunt Ciuitatum euerſiones, vaſtationes Prouinciarum, atque fœdæ Regnorum populationes; negabimus inuentura in hiſce bruta animantia, quæ corrigi poſſent? Nollent profectò Rerumpublicarum moderatores regiminis ſui rationes hominibus ipſis, ne dicam brutis, reddere, qui maturæ prudentiæ fructus poſt annos, luſtra, & ſæcula probari volunt: & erit qui ratione cum Deo certare audebit, non expectata diuini beneplaciti periodo? neque ego illum hominem impium modò, ſed dementem quoque dixero; qui leuiſſimo vacillantis animi dubio agitatus, in Numen rerum omnium præpotens inſurgere non formidat; pro quo ampliſſima Cœli machina, vnanimis gentium conſenſus, & quotquot ingenio vnquam excelluerunt, authoritas ſtat inuicta. Accedit tritum illud, ratumq. prudentiorum conſenſu dictum: quod nimirum *In dubijs tutior ſemper pars ſit eligenda*. Quàm verò ſalubris atque efficax in negotio noſtro aliquando fuerit decantata hæc in Iuriſperitorum exedris regula, ſequens exemplum declarabit.

Viuebat in Scotia ante annos aliquot vir non vulgaris apud ſuos exiſtimationis, ob conſtantem prudentiæ, aliarumq. moralium virtutũ famam. Hic lethali correptus morbo, nullis liberorum, amicorumve adhor-

Digitized by Google

tationibus induci potuit, vt æquo animo ea ſibi officia præſtari ſineret, quæ in extremo vitæ termino laborantibus non congrua modò, ſed neceſſaria etiam ex diuinæ Legis præſcripto videntur: hærebat nimirum altus turbatæ menti infixus dolor, quẽ geminata ſubinde ſuſpiria ex imis præcordijs educta teſtabantur, & malum aliquod ipſa morte acerbius in ægrotantis pectore latere arguebant. Tum è præſentium numero vnus iniqua amici ſorte motus, ceteris comiter dimiſſis, ab ægro perquirere cœpit, quæ tantæ perturbationis cauſa, quæue tam proteruæ conſternationis origo eſſet. Ad hæc ille, O infelicem hominũ conditionem! proclamat: quàm imbelles naſcimur, quàm incerti viuimus, & quàm citò morimur! neque adhuc ſecuri ſumus, an mors ipſa malis noſtris finem afferat. Mox alter ægrum rogare, num vllo conſcientiæ ſcelere eſſet obſtrictus? longa deinde oratione de Dei miſericordia, de Paſſione Chriſti, atque de Cœlorum gaudijs diſſerere, tanta pietate & facundia, vt æger erecto paululum capite, porrectisq. brachijs, amicum, vti potuit, cõplexus, voce ſingultibus intercepta dixerit: Vtinam illa tam vera eſſent, quàm videntur ſpecioſa. De hiſce ergo dubitas? ſuſcepit ille: at cogita, precor, quanto te crimini obnoxium reddis. Nam cùm de Deo, aut de Religione nihil certò ſcire poſſint mortales, niſi quæ ipſis diuinis Oraculis continentur; de horum certe veritate, ſine manifeſta Numinis iniuria, nemo dubitat. Qualis porrò hæc iniuria ſit, & quàm manifeſtum ſacrilegium, quis non videt? E cõtrariò verò; qui decreta

cœleſtia

cœleſtia ea, qua par eſt fide ſuſcipit, ipſius quodam-modo particeps Diuinitatis euadit, illáq. ſperare poteſt præmia, quæ tantæ pietatis meritis diuina munificentia propoſuit. Perpende inſuper quòd ex dubio, quo tu miſerum in modum nunc torqueris, nihil omnino boni in futura vita ſperare poſſis; immò quia maxima mala inde times, hinc illæ lacrymæ. Ex fide autem, quam Deus à te exigit, nihil omninò mali poſt mortẽ timendum ſupereſt, vel ipſa tua dubia conſcientia iudice: quanta verò bona ſperanda ſint, nõ agam in præſentia, donec ipſa rationis vis te ad ſaniora conſilia reuocet. tua ſalus agitur, quam dubitatio omnium periculorum maximo exponit, fides in tuto locat. Elige ergo vtrum magis placet: dubium, quod te æternùm perdere poteſt, ſaluare autem non poteſt; vel fidem, quæ ſaluare poteſt, perdere non poteſt. Valuit amica hæc amici oratio ad æquiorem primũ in ægroti mente ſtabiliendam de Religione opinionem, quam inſignis præteritæ vitæ, dubiæq. fidei pœnitentia, mox in Deũ pietas, atque certa ſalutis æternæ ſpes ſubſecuta eſt. Cedat ergo fluctuantis intellectus hæſitatio ſtabili manifeſtæq. hominum vtilitati; neque vllus tam vecors ſit, qui incertas circa diuina opiniones certæ, atque proditæ ab ipſo Deo veritati præferat: cui omnia quæcunque cœli terræq. ambitu clauduntur, aſſiduo inſeruientia miniſterio, concordi voce accinunt: *Ipſe fecit nos, & non ipſi nos*. Quamuis verò diuina verba, quæ vaſto mundi huius libro inſcripta legimus, adeo clara, atque perſpicua ſint, vt ijs hominum pertinax in Reli-

gionis negotio ſocordia conuinci poſſit; tanta nihilominus fuit diuinæ bonitatis erga mortales Clementia, vt voluntatis ſuæ arcana hominibus hominum opera reuelari, ac manifeſtari iuſſerit: Primùm quidem per Patriarchas, & Prophetas, ac nouiſſimè per proprium Filium carne noſtra veſtitum. Et ne vlla Deitatis Perſona humanam fugeret notitiam, miſſus tandem è cœlo in terram Spiritus ille, cuius virtute omnia ſpirant, qui pleniùs, fuſiùsq. mortalium corda ſupernæ veritatis luce perfunderet, ac ſancto Numinis ſuccenderet amore. Verùm quia nihil omnino circa immenſam Dei naturam ſcire poterimus niſi ipſomet Duce, ac Magiſtro Deo; agemus breuiter de ijs libris, in quibus ſeipſum reuelat: neque in Diuinis quidquam præter ipſius Dei beneplacitum quæremus.

ASSERTIO II.

De Scriptura, ſeu verbo Dei ſcripto.

FRuſtra in ſecretioribus diuinæ mentis conſilijs inueſtigandis laborauerit humana induſtria, niſi demiſſum Cœlo lumen, excuſſis terrenæ cæcitatis nebulis, mortalium corda illuſtret. Nam licèt ea omnia, quæ ad naturalem ſupremi Numinis cultum procurandũ neceſſaria videntur, fuſè nobis in Dei operibus ſint deſcripta, ex quibus nõ pauci, teſte Apoſtolo, impietatis damnabũtur: quàm longiſſimè tamen à diuinæ Naturæ arcanis eſſemus remoti, niſi Deus, patefactis

ctis

ctis Regiæ ſuæ atrijs, humanum genus ad illa conuocaſſet? Quid de cœleſtibus loquar? talis, tantaq. fuit nationum penè omnium ſæculis plurimis ignorantia, vt homines originis ſuæ obliti, non aliter quàm bruta animantia viuerent: ſuperantq. in vaſtiſſimis vtriuſque Indiæ prouincijs ignauiſſimæ huius infelicitatis in hodiernum vſque diem non obſcura veſtigia. Neque inſcitiæ hominum eius mali cauſa ſemper eſt aſſignāda: quos clarum eſt in veritate indaganda ſæpe numero à rationis viribus deſtitui. Non profuit certè acerrimi ingenij vis Peripateticæ Philoſophiæ magiſtro, ad reſarciendam hiſtoriam de rerum principijs, maiorum ſuorum incuria deperditam; atque inde poſt dubia perplexa, acresq. in Lycæo diſputationes, celebris illa theſis prodijt, *Mundum ab æterno fuiſſe*. Concluſio hæc licèt nunquam probata, (quibus enim rationibus tàm falſa aſſertio probari potuit?) ſufficeret profectò ad humanum intellectum perpetuis ignorantiæ tenebris faſcinandum, niſi electo ex Hebræorum gente Moyſi ea patefeciſſet Deus, quibus & error innocens corrigi, & obſtinatio pertinax conuinci poſſit. Hic ſacras Patrum traditiones cum diuinis oraculis ſedulò cōferens, exactam de rerum omnium ortu doctrinam *Geneſis* libro complexus eſt. Sed cùm nec credi verum Deum, nec coli impunè apud Ægyptios ſinerent legibus patrijs, & Pharaonum potentia armati Idolorum Miniſtri, emigrandum fuit Iſraëlitico populo. Huius itineris, duce, ac comite Numine ſuſcepti, inſignia miracula *Exodo* deſcribit idem ille Dei Amanuenſis. Integrum

Digitized by Google

præterea diuini cultus, ſacrificiorumq. ordinem inſtituit *Leuitici* libro. Numerandus deinde fuit, ac cenſendus populus, atque in Curias, ſeu Tribus diuidendus, ne promiſſiones de Meſſia confunderentur: cenſum hunc, aliaq. plurima tam de religione, quàm de moribus Iudæorum, *Numerorum* liber continet. Legibus tandem, Præceptisq. diuinis coërcenda fuit Hebrææ gentis perfidia: *Deuteronomij* libro nomen eſt. Quinque hi Moyſis libri *Pentateuchus* dicti, Scriptura legalis communi appellatione vocantur.

Poſt Moyſen Ducem, & Legiſlatorem, Iudæi multos habuerunt Viros tantis, & tam claris virtutibus præditos, vt eorum geſta in ſacra volumina iure merito relata fuerint, exemplo hominibus futura, quibus ſtudijs delectetur rerum omnium conditor, & moderator Deus. Primus hiſtoriæ ſacræ liber *Ioſue*, fortiſſimi iuxta, atque optimi Ducis, virtutem bellicam, aliaq. egregia facinora continet: qui partam magno labore terram promiſſionis Iſraëlitico populo diuiſit, ſcriptusq. fuit Ioſue ipſo, vt probabilior fert ſententia, authore. Libri *Iudicum*, & *Ruth*, quorum ille Iudæ, Gedeonis, Iephte, Sampſonis, atque aliorum facta: hic Dauidis originem deſcribit; Samuelem ſcriptorem habuerunt; ſicut etiam libri priores duo *Regum*, quibus Helì & Samuelis ſacerdotia, Saulis & Dauidis regna diſpari exitu narrantur. Duo poſteriores *Regum* Eſdræ creduntur: includunt autem Salomonis Regis ſapientiam, diuitias, maieſtatem, & indignam planè tanto viro defectionem ad peregrinas ſuperſtitiones: quam

regni

Digitized by Google

regni Iſraëlitici diuiſio, Principum cædes, vaſtationes Prouinciarum, & ſexcentæ huius generis calamitates ſequutæ ſunt. ac tandem Sedechiæ Regis captiui interitus miſer librum quartum claudit. Libri *Eſdræ* ab authore nomen ſortiti (quamuis Secūdum à Nehemia ſcriptum graues aliqui viri contendant) Templi, atque Legis Dominicæ reparationem complectuntur. Liber *Tobiæ* à Tobia quidem compoſitus: is tamen ſenior, an iunior fuerit, ambigitur. *Iudith* res geſtæ ab Eliachim, *Eſther* Reginæ à Mardochæo libris diſtinctis, quorum ſinguli ſingularum *Heroinarum* nomina præferūt, deſcriptæ fuerunt. Liber *Iob* à Moyſe editus fuit, vt multis placet. Primi libri *Machabæorum* Ioannes Hircanus Pontifex author perhibetur: de Secundo iudicium nondum eſt extra controuerſiam.

Hiſtoricos ſacros libri, quos Hagiographos vocant, ſequuntur. Horum primus *Pſalterium Dauidis*, Poëſis planè diuina eſt, quam Propheta regius in mortaliū gratiam Sancti Spiritus ductu cecinit. Huius filius Salomon mira ſapientiæ prærogatiua à Deo ornatus, eandem hominibus deſcriptam reliquit libris *Prouerbiorum, Eccleſiaſtæ*, & *Cantici*. De *Sapientiæ* libro nō adeò inter ſcriptores conuenit: ſed tutior eorum videtur opinio, qui illum Salomoni, quàm qui Philoni Iudæo tribuunt. *Eccleſiaſticus* Ieſu filij Sirach abſque dubio cenſetur.

Vltima ſcriptorum Teſtamenti veteris ſeries eſt Prophetarum, qui diuino Numine afflati, rerum futurarum prædictione immortale ſibi nomen apud natio-

nes

Digitized by Google

nes omnes acquiſiuere. Hi ſeptemdecim in vniuerſum numerantur, proprijs ſuis operibus ſinguli ſpectabiles. *Iſaias* certè ita clarè de Meſſia ſcripſit venturo, vt præteritorum hiſtoriam, non futurorum vaticinium tradidiſſe videatur. *Ieremias* ab ipſamet infantia prophetia celebris fuit, habuitq. ſcribam *Baruch*, qui pauciora quàm ille, ſed eiuſdem veritatis, ſcripta reliquit. *Ezechiel* Ioachim Regis in captiuitate fuit ſocius. *Danielis* magnum nomen fuit apud ipſos gentis Hebrææ hoſtes. Atque hi quidem, vno Baruch dempto, Prophetæ Maiores dicuntur; reliqui verò duodecim, Minores: quorum nomina, quòd operum ab ijs ſcriptorum tituli ſint, recenſere placuit. *Oſee*, *Ioel*, *Amos*, *Abdias*, *Ionas*, *Michæas*, *Nahum*, *Habacuch*, *Sophonias*, *Aggæus*, *Zacharias*, *Malachias*.

Quicquid interim aut à Moyſe legibus ſancitum, quicquid ab hiſtoricis in tabulas relatum, quicquid denique à ſapientibus decantatum, aut à Prophetis prænunciatum fuit, id totum ad Domini vias præparandas, Chriſtiq. Dei & hominis imperium muniendum præmiſſum. Hic dum humana veſtitus carne in mundo verſaretur, non tam præcepta, quàm exempla viuendi mortalibus tradidit. Chriſti Redemptoris noſtri legem *Euangelium* continet, à quatuor diuerſis auctoribus deſcriptum, ſed ab eodem Sancto Spiritu dictatum. Scriptores fuerunt *Matthæus*, *Marcus*, *Lucas*, & *Ioannes*. Ad hiſtoriam Teſtamenti noui pertinent præter ea, quæ in Euangelijs traduntur, *Acta Apoſtolorum*, à Luca fideliſſimo teſte compoſita. Euangelica

gelica

Digitized by Google

gelica ſapientia varijs Epiſtolis comprehenditur, quarum pars magna eſt Pauli Apoſtoli: ad *Romanos* nimirum vna, ad *Corinthios* duæ, ad *Galatas*, *Epheſios*, *Philippenſes*, *Coloſſenſes* ſingulæ, ad *Theſſalonicenſes* duæ, ad *Timotheum* totidem; tres præterea, quarum vna ad *Titum*, ad *Philemonem* altera, atque vna itidem ad *Hebræos*. Sunt præter has *Iacobi epiſtola* vna, binæ *Petri*, *Ioannis* tres, atque vna etiam *Iudæ*, quas Catholicas vocant. Nec deeſt Euangelio Prophetia: nam præterquam quòd Apoſtoli omnes Prophetæ fuerint, Ioannes prolixam ſcripſit de futuro iudicio, alijsq. plurimis rebus huius ſeculi finem præceſſuris narrationem, quæ *Apocalypſis* vocatur.

Quamuis verò horum voluminum authoritas adeò ſacroſancta eſſe deberet apud eos, qui vnius Dei Numen, Chriſtiq. nomen profitentur, vt ſuperuacaneum videri poſſit prolixius in ijs aſſerendis ſtudium; agendũ nihilominus eſt iterum de illis, quos è ſacro indice expungere conantur noui quidam homines, non minore imperitia, quàm impietate armati. Litem porrò nobis mouent Nouatores de ſequentibus potiſſimum: Tobia ſcilicet, Iudith, Eſther, Sapientia, Eccleſiaſtico, Baruch, Machabæis. Neque in libris noui Teſtamenti, quibus detrahere conatus eſt Lutherus, propugnandis immorabor, cùm ab omnibus fermè hæreticis, Magiſtri hac in parte exploſa ſit dementia. Duo porrò tela ſunt, quibus citatos Teſtamenti veteris codices impugnant Nouatores; Primum eſt authoritas Synagogæ, alterum conſenſus Eccleſiæ. De Synagoga non multum ſum

ſoli-

Digitized by Google

ſolicitus; quæ id ſolum conuincit, quòd in Canone ab Eſdra edito nulla prædictorum librorum ratio habeatur: ex qua inferri tantum debet, illorum aliquos tum ſcriptos non fuiſſe, alios non repertos. Adde quòd Eſdras nuſquam profiteatur ſe omnino ſacra volumina inueniſſe, aut inuenta ſolùm ita pro Canonicis habuiſſe, vt cæterorum omnium authoritati detractum velit. Sed eſto prædictos libros Synagoga non admiſerit pro ſacroſanctis; admiſit profectò Eccleſia Catholica, cuius decretis ſtare debemus quotquot Chriſtianam profitemur religionem. At hoc negatis ſectarij: ſi rationem quærimus, reſpondetis, illos non ſtatim in Canone Chriſtiano numeratos, variaq. fuiſſe, atque differentia in Eccleſia de illis iudicia. Argumentum leue: quod ſi ad libros è Canone expungendos ſufficit, expungite etiam Epiſtolas Petri ſecundam, Iudæ, & Iacobi, de quibus lis olim erat: expungite eam Pauli ad Hebræos, quam Latinorum conſuetudinem non recipere inter Canonicas ſcripturas aſſerit Hieronymus, cui ſoli in Bibliorum ſyllabo fidem adhibendam docetis. Non Synagogam, non Eccleſiam, non Hieronymum Doctores ſequimini, ſed ſequi vos fingitis, vt fucum indoctæ plebeculæ faciatis: at neminem ſenſatum vnquam decepiſtis. Veſtra, veſtra, inquam, hæc impura ſunt dogmata, ad quæ grauium virorum ſuffragia detorquere per ſummum nefas conamini. Nihil tamen contra veritatem euincetis; nam obſtat tantæ impietati idem ille Hieronymus, quo duce in ſcripturarũ luſtrum vos deſcendere mentimini.

Ille

Digitized by Google

Ille talis, ac tantus Doctor, qui ſtudio indefeſſo annos plurimos in ſacris Paginis euoluendis conſumpſit, librum Iudith, a quo receditis, vt Canonicum, in latinum ſermonem tranſtulit, poſthabitis Iudæorum placitis, non tamen id authoritate propria eſt molitus: *Sed quia hunc librum*, inquit, *Synodus Nycena in numero ſanctarum Scripturarum legitur computaſſe, acquieui poſtulationi veſtræ, &c.* Vt Hieronymus Nycenum pro libro Iudith, ita Auguſtinus pro ceteris, de quibus litigant Nouatores, Carthaginenſe Concilium profert, Gelaſius Romanum: quibus addi poſſunt Florentinum, & Tridentinum. Neque vllum in Eccleſia Doctorem probatæ fidei ab Innocentio Pontifice, qui primus de libris Canonicis decretum Catholicum edidit, ad noſtra hæc tempora inueniemus, qui de ſacroſancta Scripturarum authoritate, vel leuiter, dubitet.

ASSERTIO IIII.

De Traditionibus, ſeu verbo Dei non ſcripto.

PRæter ea, quæ in ſacris Voluminibus ratæ, ac firmæ veritatis habentur; ſunt,fueruntq. ſemper tãta in veneratione traditionũ apud Chriſtianos teſtimonia,vt non minus temerarium videatur de illarũ, quàm de ipſius Canonicæ Scripturæ fide diſputare.Ne que hìc Traditionũ nomine aliud intelligo, quàm Dei verbum, per Chriſtum, Apoſtolos, horumq.

Succeſ-

Succeſſores editum, quod in nullo Bibliorum Codice Scriptum reperiatur. Tria porrò ſunt Traditionum genera, de quibus ſermo præſens erit; Diuina nimirum, quæ ab ipſo Chriſto; Apoſtolica, quæ ab Apoſtolis; & Eccleſiaſtica, quæ ab Eccleſiæ Rectoribus Chriſtiano Populo tradita credimus. horum ſingula ſingulis, & firmiſſimis Scripturæ decretis continentur. De prioribus eſt illud Matth. *Hic eſt Filius meus dilectus, ipſum audite*. De Apoſtolicis nota eſt Chriſti ſententia: *Qui vos audit, me audit*. De Eccleſiaſticis: *Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus*. Quid ad hæc Nouator, qui omnia ad ſalutem, ad fidem, & ad mores neceſſaria, clarè, diſtinctèque in ſcripto Dei Verbo reperiri aſſeris? Quod ſi verum eſſet: nec Chriſtum, aut Apoſtolos audire loquentes, nec Eccleſiæ iudicio acquieſcere nos ipſamet Scriptura iuberet. Viden' ergo quàm probè traditionum patrocinium Sriptura ſuſcipiat? nec immeritò: has enim ſi auferas, de Scripturæ authoritate actum erit. Quis enim ſine illis mihi perſuadebit, Prophetarum, Apoſtolorum, aut Euangeliſtarum ea eſſe opera, quæ in Biblijs Canonicis circumferuntur? Vlluſnè Euangelia, quę Thomæ, & Nicodemi nomina præferunt, reijcere audebit, cùm hunc diſcipulum, illum Apoſtolum Chriſti fuiſſe Scriptura teſtetur? Neque quis mihi dixerit, Scripturam Canonicam ex ipſa Scriptura poſſe diſcerni. Nam præter quàm quod in nullo Scripturæ libro ſacrorum voluminum Index reperiatur; quis non videt, incertæ, ſuſpectæque fidei illa fore teſtimonia, quæ ex re con-
trouerſa

trouerſa deſumerentur? Quare non tam hæreſis, quàm inſaniæ rei dicendi erunt illi, qui nihil credendum eſſe affirmant, præter nuda Scripturæ dogmata: quæ ſi bona Fide Nouatores admitterent, vna eademque opera Traditiones reciperent. De hiſce enim clarum habemus præceptum ad Theſſal. 2. *Itaque fratres ſtate, & tenete traditiones, quas didiciſtis ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam.* Vbi prius verbi traditi, quàm epiſtolæ ſcriptæ ſit mentio. Atque hinc eſt quòd tanta fuerit apud omnem antiquitatem Traditionum reuerentia: vt illæ ſolæ ad grauiſſima Scripturæ decreta abolenda, ſatis ſuperque virium habuerint. Temerarium hic me dices Sectator: dic præterea impium, niſi clarè quod propoſui docuero. Sabbathi feſtiuam obſeruationem, & verbo, & exemplo ſuo præcipit Deus Exodi 34. at Chriſtiani omnes, præter pauculos Anabaptiſtas, diem Dominicam hexaemeri primam, non Sabbathi, quæ vltima eſt, ſacra ſolemnique feriatione celebrant. Hoc vetus Teſtamentum. Nouum, ſuffocatorum, atque ſanguinis eſum, Chriſtianis ex parte ſancti Spiritus interdicit. Actor. 15. & 21. Cur non obediunt Sectarij? aut qualem tam manifeſtæ rebellionis excuſationem afferunt? Ad traditiones confugient? an vires ergo in manifeſta Scripturæ decreta habebunt traditiones, vt illi farciminibus ſanguineis veſcantur: nec habebunt, vt Chriſti ipſius exemplo inſtituta ieiunia, à Catholicis religioſa ciborum abſtinentia colantur? Nonnullas, inquiunt, traditiones admittimus, Diuinas nimirum, & Apoſtolicas. At ſæculis aliquot poſt Chriſti, & Apo-

ſtolorum

ſtolorum tempora integer erat præcepti de ſanguine, & ſuffocatis non comedendis vigor: vt liquidò patet ex Conſtitutionibus Leonis Imperatoris, cognomento Philoſophi. Ad Eccleſiaſticas igitur refugiendum.

Verùm ne longior ſim in illis recenſendis, quæ Scriptura reclamante vnanimi fide creditis, ad ea venio Chriſtianæ religionis capita, quæ maxima, grauiſſimaq. à vobis iudicantur, nec vlla ſcripti Verbi doctrina roborantur. Vnde, precor, notitiam hauſiſtis de tribus Perſonis diſtinctis, & vna ſubſtantia in Trinitate? quòd infantes ſint baptizandi; quod Deipara poſt partum remanſerit Virgo? ipſum denique Apoſtolorum Symbolum ex quo Scripturæ libro deſumpſiſtis? Hæc licèt veriſſima ſint, vos tamen, qui ſolo Scripturæ teſtimonio omnem de Religione quæſtionem definiendam contenditis, profiteri ea nec poteſtis, nec debetis. Hiſce argumentis ſi vos vrgerent alterius alicuius ſectæ hæretici, ad Maiorum exempla, ad Patrum traditiones, imò ad ipſam Catholicæ Eccleſiæ conſuetudinem manus, & ora conuerteretis, opem ad oppugnatam veritatem tutandam poſtulaturi: neque aliunde vlla ſalutis, aut victoriæ ſpes affulget. Quare ſilendum vobis omnino erit, vbi de impietate veſtra, & exploſa ab omnibus, tam antiquæ, quàm præſentis Eccleſiæ, Doctoribus hæreſum colluuie, inquiſitio fiet. Nam qui ſolam Fidem iuſtificare docet, duo tantum eſſe nouæ Legis ſacramenta, non eſſe pro mortuis orandum, Sanctorum patrocinia ſpernenda, non dari Purgatorium, amiſſum Liberum arbitrium, & ſexcenta huius

generis

generis alia, de quibus tacet Scriptura; qua fronte ſacra Biblia pro ſolo, veroque Chriſtianæ Religionis arbitro depoſcere audebunt? O miſeros mortales! quos non error; (hic enim vt res humana vtcunque tolerari debet) ſed veſana errandi libido ad ea deliria pertrahit, quæ religioſus animus, vt impia, Philoſophus vt rectæ rationi contraria, damnare cogitur. Ne interim iniquior videar, aut vlli rei magis, quàm veritati ſtudere, percurram breuiter illa Scripturæ loca, quibus ſe, alioſque in præſenti controuerſia decipere laborant hæreticarum partium Anteſignani: occurritque in primis illud Deuteronomij, cap. 4. *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ab eo*. & cap. 12. *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito, nec addas quidquam, nec minuas*. Addunt ex Prouerb. 30. *Omnis ſermo Dei ignitus: clypeus eſt ſperantibus in ſe: ne addas quidquam verbis illius*. Hæc, atque hiſce ſimilia, quæ paſſim ad Traditiones debellandas proferunt Nouatores, nunquam ego in medium produxiſſem, niſi ex ipſorum ſcholis, templis, & libris tanta pompa citarentur, ac ſi pondus aliquod, aut momentum in negotio controuerſo haberent. Puderet enim, vel mera diſputationis otioſæ gratia, illis armis Traditiones petere, quibus tam facilè ipſæ ſe ſe defendere poſſunt. Nam Deuter. 4. agitur de Verbo, quod loquitur Deus. & 12. de Præcepto. 30. verò Prouerb. de ſermone Dei. De Scriptura ne ſyllaba quidem. Quare Traditiones, quæ & verba Dei, & præcepta, & ſermones ſunt, cauſam ſuam citatis locis, non minus quàm ipſorum Bibliorum, agi contendunt?

dunt. Quæro præterea à Sectarijs, qui laudata Deuteronomij loca ſiue iure, ſiue iniuria, de ſcripto Dei verbo explicant, cur poſt Deuteronomium, vllum librum pro ſacroſancto agnoſcant? Vixere poſt Moyſen omnes omnino, præter vnum Iob, quem libri eius nominis authorem, vel potius interpretem quidam credunt, ſacrarum literarum Scriptores, quos eàdem cum Traditionibus ſententia proſcribunt Nouatores: neque hi nouum aliquid, aut inſolens moliri ſibi videntur, dum, ad vnicum hæreſis ſuæ dogma fulciendum, totam penè diuinorum Oraculorum machinam proſternere conantur. Finem hìc præſentis controuerſiæ facerem; niſi mihi D. Pauli nomen authoritatemque obtruderent aduerſarij, qui ad Galathas 1. iteratis verbis anathemate damnat illos, qui docent quidquam præter ea, quæ ipſe docuerat: *Licet nos, aut Angelus de Cælo euangelizet vobis, præterquàm quod euangelizauimus, anathema ſit.* & infra: *Si quis euangelizàuerit vobis præter id, quod accepiſtis, anathema ſit.* Aures hìc mihi, animumque paululum accommoda, mi Lector: videbis, ni fallor, quibus præſtigijs humanas mentes hæreſis faſcinet. In vno eodemque Confeſſionis Rupellenſis articulo, quinto nimirum, laudata ſuperius Deuteronomij teſtimonia, cum citatis modò D. Pauli verbis ab hęreſis profeſſoribus contra Traditiones producuntur. Nec animaduertunt miſeri, quibus armis Fidei communis duces concurrere inter ſe faciant. Nam ſi Deuteronomij loca vim illam haberent, quam iſti habere per nefas contendunt, actum eſſet de Diui

Pauli

Digitized by Google

Pauli doctrina, & vice verſa. Is enim non ſolùm plurima docuit, quæ in Deuteronomio non reperiuntur, verùm etiam imperatas claris Deuteronomij præceptis Legis Moſaicæ cæremonias ita deſtruxit, vt ad illas nullus Chriſtianæ Fidei profeſſor teneatur. Abſint procul falſæ de rixis inter Prophetam, & Apoſtolum opiniones. Contra ſe dicere non potuerunt illi, qui vnius eiuſdemque veritatis, quæ ſibi ſemper conſentiens eſt, nuncij, & interpretes fuerunt. Quod Moyſes Hebræis, hoc Paulus Chriſtianis ex parte Dei præcepit; vt nimirum hi cum Euangelio, illi cum Lege pugnantia dogmata conſtanter auerſarentur. Et anathema illud, quod D. Paulus in Euangelij hoſtes profert, non poteſt non ferire eos, qui laudatas à Chriſto, & clarè ab eodem Apoſtolo commendatas Traditiones dente canino petunt. Neque certè error, ſed extrema dementia eſſet aſſerere D. Paulum, qui poſtremus ad Apoſtolatus miniſterium vocatus fuit, & qui multa præter Epiſtolam ad Galatas ipſe ſcripſit, anathemate damnare ea omnia, quæ in prædicta Epiſtola non habentur. Eſt præter hæc Euangelij locus, quo ignaris mulierculis perſuadere nituntur Sectatores, Traditiones à Chriſto ipſo vetitas. Matth. 15. *Irritum feciſtis mandatum Dei propter Traditionem veſtram*. Huic ſimile eſt Coloſſ. 2. *Videte ne quis vos decipiat per Philoſophiam, & inanem fallaciam, ſecundùm Traditionem hominum.* Et 1. Petri 1. *Redempti eſtis de vana veſtra conuerſatione paternæ Traditionis*. O meras nugas! vlluſne Catholicæ veritatis aſſertor corruptas à Phariſæis Iudæorum Traditiones,

Digitized by Google

aut excogitatas ab hominibus fabulas defendit? Vos ſoli Nouatores tradita Patribus veſtris à Luthero, Caluino, & alijs impura dogmata impiè colitis; quæ tam Chriſti, quàm Apoſtolorum doctrina manifeſtò deſtruit. Cui Catholici lęti ſubſcribimus, damnantes omnes, quotquot ſunt aut fuerunt, humanas Traditiones, quæ nihil aliud ſunt, quàm excogitatæ à vobis, veſtriſque ſimilibus hæreſes, & ſchiſmata. Omitterem libens id quod ex Apocalypſis vltimo pro ſe afferunt Nouatores, niſi de mea fide in ipſorum cauſa certo certiùs eſſent conqueſturi. *Si quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper eum plagas ſcriptas in libro iſto*. De prophetia ſua agit Apoſtolus, quam Catholici omnes ſano ſenſu explicant. Hæreſis miniſtri ita mutant, innouant, & ad impia quæque ſua deliramenta confirmanda detorquent, vt de ſcriptis in Apocalypſi plagis, niſi ad ſaniorem mentem redeant, ſecuri eſſe poſſint. Sana itaque, atque integra maneat ſacrarum Traditionum maieſtas; contra quam quid ipſi iurati hoſtes efficere potuerint, iam vidimus. Sine Traditionibus inutilis eſſet de vera Religione ſermo, & dubia atque perplexa ſacrorum Voluminum, quamuis à Moyſe, aut ab ipſo Chriſto ea deſcripta forent, authoritas.

ASSER-

ASSERTIO IV.

De Eccleſia.

Eccleſiæ Catholicæ dignitas, in proſcriptæ ob ſacrilegam rebellionem Iudaicæ Synagogæ locum ſuccedens, adeo intemerata religione apud Chriſtianos omnes colitur, vt ipſi veritatis, atque Eccleſiæ oppugnatores hæretici, ad eius patrocinium confugere, velut ad ſacram anchoram, cogantur, cùm nulla alia ratione publicum Orbis Chriſtiani odium declinare, & phanatica ſua dogmata pro veris venditare valeant. Hiſce ego, fauente Deo, laruam detraham; oſtendamque quid Eccleſia, qualis, & quæ ſit. Ex quibus facile erit dignoſcere, num hæreſis profeſſores ſibi ius vllum in ea vindicare poſſint. Eſt ergo *Eccleſia*, vt de nominis etymologia, alijſque notionibus, quæ ad rem noſtram minus faciunt, ſileam, *collecta hominum multitudo, qui vnius Chriſtianæ Religionis communione Deo obſtricti ſunt:* horum aliqui præſunt, ceteri ſubeſſe tenentur; ne ordo in Diuinis obeundis confundatur. Deus, quando latis primùm Legibus, ſacrificiorum ritus Moyſi præſcripſit, imperauit ſtatim, vt Aaron, & filij eius habitu, miniſterio, atque authoritate, pro cuiuſque munere ornati, reliquæ genti in ſacrorum cura gerenda præeſſent. Taceo quæ de Pontificibus, Sacerdotibus, ceteroque Synagogæ apparatu in veteri Teſtamento fuſè tradun-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

tur; & ad Chriſtum Eccleſiæ Principem, & fundamen venio. Hic Legem mundo edicturus, duodecim Euangelij ſui Miniſtros elegit; quos Apoſtolorum titulo decoratos non modò fidelium vulgo, ſed ipſis quoque Diſcipulis prætulit. Apoſtoli poſt Chriſti in Cœlum reditum, creſcente in dies multitudine credentium, Eccleſiaſtici Senatus numerum auxerunt. In Iudæ proditoris locum aſſumptus Matthias, dein ſacro Apoſtolorum Collegio Paulus, & Barnabas fuerunt aggregati. Neque ſolùm de Epiſcopis, & Presbyteris, ſed de nouo etiam Diaconorum ordine, celebris in Apoſtolorum actis mentio fit; quorum primitiæ Stephanus martyrio nobili ſe Numini deuouit. Non ergo res inſolens eſt Principum Eccleſiæ in ſubditos imperium, & horum erga illos obſequium. Nam præter dicta, nota eſt D. Pauli ad Epheſios Antiſtites adhortatio Actor. 20. *Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*. Hæc ad Prælatos; ad ſubditos verò eiuſdem Apoſtoli extat præceptum ad Hebr. 13. *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubiacete illis: ipſi enim peruigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri*. Hactenus de membris, quæ Eccleſiam conſtituunt; agendum in poſterum de illis prærogatiuis, quibus hanc Chriſtus ab omni alio hominum cœtu diuiſit. Eccleſia Chriſti vna, vnius Petri præ cæteris curæ, & regimini commiſſa fuit, Matth. 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*. Et Ioan. 21. poſt reſurrectionem Dominus, agnorum, & ouium ſuarum paſcen-

Digitized by Google

paſcendarum negotium eidem Petro ter repetito præcepto credidit. Hic dentibus frendebunt Nouatores, vbi de D. Petri primatu ſermo fiet. Mea hæc non eſt ſententia, ſed D. Matthæi (qui locum inter Apoſtolos meruit) cap. 10. *Duodecim autem Apoſtolorum nomina hæc ſunt. Primus Simon, qui dicitur Petrus.* Et ne vocatione, non autem dignitate primum dixeris, conſule D. Ioannem cap. 1. vbi Andream, non Petrum, à Domino primo loco vocatum videbis. Si cauſam quæris, cur vnus aliquis ceteris præferatur, reſpondebo cum Hieronymo contra Iouinianum lib. 1. *Propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite conſtituto, ſchiſmatis occaſio tollatur.* Neque hæc Eccleſiæ vnitas Ciuitatum, Prouinciarum, & Regnorum pluralitatem, vel longiſſimas quaſque ſibi ſuccedentes annorum ſæculorumque vices tollit. Vniuerſi Dominus Chriſtus, Eccleſiæ ſuæ limites Orbis terrarum fines eſſe voluit. *In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines Orbis terræ verba eorum*, Rom. 16. Ætatem verò cum ipſo mundo communem, Dan. 2. *Suſcitabit Dominus Cœli regnum, quod in æternum non diſſipabitur.* & Matth. 28. *Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi.* Atque hinc eſt, quòd in Apoſtolum Symbolo dicitur: *Credo ſanctam Eccleſiam Catholicam;* ex quo tertium Eccleſiæ titulum, ſanctitatem nimirum, colligimus; & rectè: nullus enim in Eccleſiam admittitur, niſi prius luſtrali baptiſmatis fonte ablutus, ſanctus euadat. 1. Corinth. 6. *Hæc quidem fuiſtis, ſed abluti, & ſanctificati eſtis.* Eccleſiæ

pręterea caput eſt Chriſtus, Sanctus Sanctorum, Eph. 1. *Et ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius:* Dux autem, & rector ipſe Spiritus ſanctus. Adde quòd Eccleſia, Sanctorũ omnium mater & nutrix ſit, atque ſacrorum adminiſtra & diſpenſatrix. Cur Apoſtolica dicatur Eccleſia, fusè, doctèque aduerſùs temporum ſuorum hæreticos euincunt Tertullianus, Irenæus, & alij: quia nimirum Apoſtolorum opera collecta fuit, & quòd perpetua in ea ſit Apoſtolica ſucceſſio. Supereſt, vt alia duo encomia de Eccleſia proferam, quæ licèt eiuſdem ſint veritatis cum prædictis, minus tamen æquis auribus à Nouatoribus accipiuntur. Vnum eſt, *Eccleſiam Chriſti videri ab hominibus poſſe:* alterum, *errare non poſſe*. Prius ſatis vt mihi videtur, ex dictis probatur. Nam ſi Eccleſia eſt hominum cœtus, vt ſuperiùs aſſerui ex primæua ipſius fundatione à Chriſto facta, homines verò ab ijs omnibus, qui oculis, aut mente capti non ſunt, cernantur; cerni proculdubio Eccleſia poterit. Et Chriſtus ipſe Matth. 5. apertè docet, *Non poſſe abſcondi Ciuitatem ſupra montem poſitam, nec accendi lucernam, vt ſub modio ponatur, ſed ſuper candelabrum; vt luceat omnibus, qui in domo ſunt*. & cap. 18. præcepit, vt peccante in nos fratre, dicamus Eccleſiæ: quæ ſi videri non poſſet, iniquum eſſet Domini mãdatum, ad quod nullus omnino teneretur. Multa hìc cauillantur aduerſarij, ſed friuola planè, & inepta. Aſſerunt enim internam Fidem, & Charitatem eſſe inuiſibilem: ex quo cuncta ſua argumenta deducunt. Verùm nemo rectè dixe-

rit, Fi-

rit, Fidem internam, & Charitatem conſtituere Eccleſiam, licèt hæ in illa reperiantur. Romana Reſpublica ex hominum collectione, quæ externo moderabatur regimine, conſtabat, non ex virtutibus, quæ in ſingulis ciuibus erant: deficiente proinde priſco illo Romanorum cœtu, defeciſſe Rempublicam fatentur omnes, quamuis pares, aut præſtantiores creuerint in poſteritate virtutes. Chriſtus Eccleſiæ ſuæ imperium ex hominibus conflauit: hoc non natura, ſed legibus, atque regiminis præſtantia, ab alijs omnibus ſeparauit. Nam ſi Fidei, aut Charitatis internæ congregatione fuiſſet contentus, nequaquam ipſe omnium Deus humana ſe carne veſtiuiſſet, vt homines ex omnibus mundi regionibus vocatos, & cœleſtibus donis in mortali hac vita donatos, ad æternæ Beatitudinis patriam deduceret. Nobis vtilis, atque neceſſaria eſt virtutum ſocietas, non Deo: qui virtutibus humanis non aliam ob cauſam delectatur, quàm quia hominibus in ſalutis negotio prodeſſe poſſunt. Virtutes itaque propter homines, non hos propter illas Chriſtus quærit; cuius Eccleſia in fidelium congregatione, non in nudæ Fidei conſpiratione conſiſtit. Quod nobiſcum tandem ipſi aduerſarij fatentur, dum Eccleſiam errare docent: hoc enim vt probent, ad hominum errores confugiunt. Nunquam ſe Protheus in tot formas mutauit, in quot Eccleſiam ſuam Nouatores efformant. Si Eccleſiam Chriſti viſibilem cum ſacris Litteris quis dixerit, illi qui mille quingentis totis annis nuſquam gentium Eccleſiæ ſuæ veſtigium vllum inueniunt,

aiunt,

Digitized by Google

aiunt, internam Fidem, & Charitatem, quæ mortales aſpectus latent, Eccleſiam conſtituere. Si Eccleſiam Chriſti nullis erroribus obnoxiam eſſe, diuinis Oraculis euiceris; tum verſipelles impoſtores, Eccleſiam, hominum, qui errare plerumque ſolent, cœtum eſſe contendunt, ſeque ad errores tollendos cœlo miſſos. Ad hæc Orthodoxa veritas reſpondet, homines quidem, ſi Diuina ope deſtituantur, errare poſſe; ſi eàdem dirigantur, non poſſe. Chriſtus ſe in Eccleſia futurum promiſit: *Vbi duo, aut tres congregati fuerint in nomine meo, ibi ſum in medio eorum*. Matth. 18. & 16. *Portæ Inferi non præualebunt aduerſus eam*. Et ne quis putet, terminum vllum Diuinæ aſſiſtentię præfixum, Matth. 28. disertè habetur: *Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſæculi.* & Ioan. 14. *Non relinquam vos orphanos*. Ex quibus rectè infero, Chriſti Eccleſiam ab omni erroris ſuſpicione eſſe liberam; noſque ad ea omnia, quæ ipſa docet, non dubia fide credenda teneri. Inſurgent in hæc magnis clamoribus Sectarij, & longam vitiorum, ac peccatorum ſeriem deducent, quibus nonnulli Eccleſiæ Principes iræ diuinæ, atque æternis ſupplicijs obnoxij, ex fide digno Scriptorum teſtimonio, cenſentur. Qui ſi Scripturas ea, quam præſeferunt, diligentia peruoluerent, didiciſſent iampridem ipſo Magiſtro Chriſto, doctrinæ integritatem docentium operibus non eſſe metiendam. Matth. 23. *Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, ſeruate & facite; ſecundùm opera verò illorum nolite facere.*

Quæ

Quæ Euangeliſta, Spiritu ſancto authore, non alio fine commemorat, quàm vt omnes circa Eccleſiæ doctrinam præſcinderentur controuerſiæ, fieretque vnus Paſtor, & vnum ouile: Synagogæ enim, Apoſtolo ſcribente, iam abolitum erat imperium. Verùm ne in ſola veritatis prædicatione Eccleſiæ poteſtatem ſitam eſſe mentiatur Nouator aliquis, non erit abs re paucis inquirere, quarum rerum arbitrium ad Eccleſiam ſuam deferri velit omnium arbiter Chriſtus. Spectat itaque ad Eccleſiam, non minus Sacramenta adminiſtrare, quàm Euangelium prædicare. Matth. 28. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*; vbi Baptiſmi, qui ceterorum Sacramentorum baſis & fundamentum eſt, expreſſa mentio, reliquorum tacita ſequentibus verbis habetur: *Docentes eos ſeruare omnia quæcunque mandaui vobis*. Tribunal etiam in Eccleſia à Chriſto erectum, à quo nulla datur appellatio, Matth. 18. vbi peccante in nos fratre, vltimam cauſæ cognitionem ad Eccleſiam deferre iubemur: huius, qui ſententiam detrectat, reprobis annumerandus. *Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus*. De peccatorum remiſsione clarus eſt locus Ioan. 20. *Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt*. Tantam denique, tamque ſingularem in Eccleſia ſua authoritatem ſtabiliuit Chriſtus, vt eius decreta circa res humanas in ipſa cœleſti curia vim obtineant. Matth. 16. *Et tibi dabo claues regni cœlorum: & quodcunque ligaueris ſuper*

terram,

terram, erit ligatum & in cælis; & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis. Atque hæc quidem pauca ex multis, dixiſſe de Eccleſia ſufficiat. Inueſtigandum reſtat, quænam ſit vera Chriſti Eccleſia. Prodi Nouator, & Eccleſiæ tuæ patrocinium ſuſcipe. Sed nulla, vt opinor, diſputatione opus: arenæ iampridem ceſſit quiſquis à Romana Eccleſia receſſit. Hæc ſola à Chriſto fundata, per Apoſtolos propagata, locis non minus, quàm ſæculis Catholica, viſibilis ſemper, errorum circa Fidem expers, collatam ſibi in Apoſtolis à Chriſto poteſtatem vbique exercens, noſtrorum temporum hæreſes eodem iure proſcripſit, quo olim Simonis Magi, Nicolai, Montani, Manichæi, Arij, Iouiniani, Vigilantij, Pelagij, Neſtorij, Iconomachorum, Berengarij, Albigenſium, Vviclephi, Huſſi, & aliorum Apoſtatarum. Eccleſia Romana Paſtores ſuos interrupta ſerie à D. Petro ad Vrbanum Octauum numerat. Contra quam infernus non præualebit, etiamſi mille Lutheros, aut mille Caluinos annis ſingulis in lucem effunderet. Stat pro Eccleſia ſua qui vinci non poteſt Chriſtus; cuius præſentia tanto terrore hæreſiarchas omnes perculit, vt nullus vnquam auſus fuerit ea ſectæ ſuæ attribuere priuilegia, quæ Eccleſiæ veræ propria eſſe diuinæ vocis Oracula voluerunt. Egone æternam animæ huius ſalutem cymbæ naufragæ, iiſque rectoribus credam, apud quos nil certũ, nil integrum de Eccleſia, quæ columna & firmamentum eſt veritatis, vel ipſis docẽtibus, reperitur? Deus det meliora pijs, & tam vanã opinionem ab hominum animis auerrũcet.

ASSER-

ASSERTIO V.

De Concilijs.

EA eſt, fuitque ſemper Catholicæ Eccleſiæ in diuinis pertractandis cura & diligentia, vt nihil vnquam noui circa Fidem, aut mores Chriſtianorum moliatur, niſi, conuocatis prius ex diuerſis locis, non dignitate modò, verùm etiam doctrina, & probitate, claris viris, ſedulam de peragendis inquiſitionem faciat. Huiuſmodi conſeſſus, Concilia, ſeu Synodi dicuntur: celebria apud omnem antiquitatem nomina. *Concilium* porrò *Eccleſiaſticum* nihil aliud *eſt*, quàm *Sacerdotum, vel Seniorum Eccleſiæ, Epiſcopali præſertim, aut doctorali gradu eminentium, cætus, vnum in locum ſuprema authoritate conuocatus, vt de Fide, & moribus Eccleſia definiat.* Hìc me interpellabunt more ſuo Nouatores, atque magnis clamoribus, quò melius à Populo audiantur, contendent, iniuriam probis, & eruditis Laicis, cuiuſcunque demum ſexus ſint, fieri, ſi in ferendo de Religione ſuffragio, indoctis, aut diſcolis Sacerdotibus poſtponantur. Ego interim, ne vulgi fauorem, quem iſti tantopere captant, omnino amittam, non rationibus, ſed ſacrorum Codicum authoritate propoſitam veritatem tutabor. Malach. 2. *Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt.* & Deuter. 17. *Si difficile, & ambi-*

guum

guum apud te iudicium eſſe perſpexeris, venies ad Sacerdotes Leuitici generis, &c. ſequeriſque ſententiam eorum: nec declinabis ad dexteram, aut ſiniſtram. Sed deterior fortè cenſenda eſt Sacerdotum noui, quàm veteris Teſtamenti conditio. abſit. Dum Chriſtus Legem, quam Moyſes à cetero populo ſeuocatus, in monte Sinai à Deo receperat, ad perfectiorem normam eſſet reducturus, & præclaris reconditæ beatitudinis fontibus ſteriles hominũ mentes vellet irrigare; aſcendit in montem, relictis, quæ frequentes aderant, turbis: & *cùm ſediſſet, acceſſerunt ad eum Diſcipuli eius, & aperiens os ſuum docebat eos,* Matth. 5. Perpende, mi Lector, & Nouatorum deteſtare inſaniam. Ipſe Dei Filius, qui doctrinam proferebat, de cuius veritate nefas erat dubitare, qui turbas habebat diſcendi cupidas; noluit cœleſtium dogmatum ſemina in vulgus ſpargere, niſi eadem prius in Apoſtolici Senatus Concilio cum Euangelij ſui præconibus contuliſſet. Hæc non ad examen doctrinæ illius, quæ nulla egebat probatione, ſed ad Eccleſiam inſtituendam facta fuiſſe conſtat. Accedit præterea non leue ad rem noſtram momentum, ex Diſcipulorum celebri illa cum Prophetis in ſubeundis pro veritate certaminibus, comparatione, & præclaris illis encomijs, *Vos eſtis ſal terræ, vos eſtis lux mundi.* Quid ad has humilium Piſcatorum laudes dixiſſe credemus eruditos Synagogæ Magiſtros, & Iuris diuini peritos Doctores, Scribas, & Phariſæos? an aliud quàm quod nobis hodie Lutheranæ, & Caluinianæ impietatis mancipia impudenter obtrudunt? vt illorum Chri-

ſtus

ſtus, ita horum Eccleſia irridet calumnias, mandatque Prælatis cum Apoſtolo 1.Timoth.3. *Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*. Quid pluribus opus? nunquid non ipſorum Apoſtolorum exemplo didicimus, quodnam hominum genus in Concilium ſit admittendum? Actor.15. *Conueneruntque Apoſtoli, & Seniores videre de verbo hoc*. Hiſce ac ſimilibus alijs ſacrorum Voluminum cùm præceptis, tum exemplis petiti Nouatores, Moyſen Sacerdotem fuiſſe negant; aut obliti, aut ignari illius, quod in Pſalmo 98. canitur: *Moyſes, & Aaron in Sacerdotibus eius*. Neque ſolam conditionem Seniorum, ſed vniuerſas præterea Conciliorum habendorum rationes, ex laudato Actorum capite Eccleſia deſumit: nam vt olim per Apoſtolos, ita nunc per eorum Succeſſores Concilia indicuntur, ad hæreſum, & ſchiſmatum euellenda zizania: *Fit conquiſitio magna; poſt hanc ſurgens Petrus dixit ad eos: Viri fratres, &c.* Cuius audita ſententia, *tacuit omnis multitudo*. Finito demum Apoſtolico Concilio, eius decreta prodierunt, in quibus nihil dubium, aut ambiguum. *Viſum eſt Spiritui ſancto, & Nobis, &c.* Et quì fieri potuit, vt dubitarent illi, qui de tanti Moderatoris præſenti Numine erant ſecuri? Hieroſolymitanum illud Apoſtolorum Concilium omnibus deinceps, quæ in Eccleſia ad hanc vſque ætatem celebrata ſunt, regula fuit. Naſcuntur hæreſes: Synodus congregatur, in qua perpenſis diligenter controuerſorum dogmatum momentis res tota ad Petri Succeſſorem defertur, ad

quem

Digitized by Google

quem ſolùm ſpectat Conciliorum decreta probare, aut reijcere. Pro hoc enim Chriſtus orauit, ne eius Fides deficeret: hic vt ouium paſcendarum curam, ita paſcuorum ſecernendorum notitiam habere creditur. Veritatis huius non Euangelium modò, ſed ipſa quoque experientia magiſtra eſt. Celebrata fuit Conſtantinopolitana Synodus prima: cui licèt centũ quinquaginta tantùm Epiſcopi intereſſent, quia illam Petri Succeſſor probauit, Euangelicæ veritatis apud Chriſtianos habetur; cùm tamen coactus Arimini ſexcentorum Epiſcoporum cœtus, qui ab eodem damnatus fuit, ab omnibus pro impio conuenticulo reijciatur. Afferri poſſent & alia huius generis plurima, quæ breuitati conſulens prætereo. Neque ſingula, quæ circa hanc materiam dici poſſent, perſequi eſt animus, ſed præcipua tantùm capita perſtringam. Scio multa à Nouatoribus contra Conciliorum authoritatem excogitari. Nam quicquid vnquam in veteri Teſtamento de Leuitici Sacerdotij, & legalium cæremoniarum occaſu, à Deo per Prophetas deſcriptum legitur, id totum ad Synodorum decreta infringenda adducunt. At facilis eſt reſponſio, cùm clarum, atque in confeſſo apud omnes ſit, Chriſti ſacerdotium non Leuitici generis eſſe, ſed ſecundùm ordinem Melchiſedech, quod in æternum manet. Vrgent inſuper, Pontificum, & Sacerdotum veteris Legis Concilia non tantùm deſijſſe, ſed etiam erraſſe: Hoc ex impia ſententia contra Chriſtum prolata conuincunt, Ioan. 11. Ego ex eodem Scripturæ loco contrarium deduco, Pontificis nimirum

Caiphæ

Caiphæ ſententiam, licèt impij & ſcelerati, non modò erroneam non fuiſſe, ſed veram, totique humano generi vtilem & neceſſariam. *Expedit nobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* Audi quid ſubiungat Euangeliſta: *Hoc autem à ſemetipſo non dixit: ſed cùm eſſet Pontifex anni illius, prophetauit.* Non dedignatur Deus per eum Pontificem homines docere, quæ recta ſunt, qui ipſi Deo necem machinabatur: & dedignabitur Chriſtus Eccleſiæ ſuæ Principi, vt promiſit, adeſſe, qui id vnum agit, vt Diuinæ voluntatis conſilia aſſequatur? Conticeſcant igitur ſuperuacaneæ Nouatorum querelæ de improbis Pontificum quorundam moribus; diſcantque memorabili Caiphæ Deicidæ exemplo, priuata Doctorum vitia publicæ cœleſtis doctrinæ veritati obeſſe non poſſe. Iuſtus eſt Deus, & recta iudicia eius, qui peccantes Eccleſiæ Paſtores eâ, qua par eſt, ſeueritate puniet: *Potentes* enim *potenter tormenta patientur:* non tamen propterea Eccleſiam ſuam peſtifero falſorum dogmatum veneno perdi ſinet; contra quam Infernus non præualebit; in cuius medio futurum ſe promiſit vſque ad ſæculi conſummationem; cui denique veritatis Spiritum omniſcium ipſe Dei Filius eſt largitus. Scimus Chriſtum in Euangelio Apoſtolos ſuos, & Diſcipulos iteratis ſermonibus ad vitiorum odium, virtutum ſtudium, rerum terrenarum contemptum, cœleſtium amorem, atque ad perfectum ſacratioris vitæ cultum incendiſſe. Verùm vbi de Eccleſiæ fabrica, & Fide ſtabilienda agendum fuit, non hortatur alios (ſciebat enim ille, qui nihil

Digitized by Google

neſcire poterat, ad ſe tantùm Eccleſiaſtici ædificij curam,& Orthodoxæ Fidei tutelam ſpectare) ſed toto humeris proprijs vaſtæ illius molis ſuperimpoſito pondere ad Petrum, ait: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: & ego oraui pro te, ne Fides tua deficiat.* Erit igitur ſuperfluum, inquies, Synodum ad Fidei, vel morum decreta ſancienda conuocare, ſi eorũ certitudo ab vnius Succeſſoris Petri iudicio pendeat: qui ſolus abſque vllo erroris periculo de Fide, & moribus decernere poterit. Poterit quidem, vt clarè Scriptura teſtatur, non tamen ſuperflua propterea erunt Concilia Eccleſiaſtica. Quis enim ſanæ mentis negauerit, Chriſtum ſolum, nullo Apoſtolorum adhibito miniſterio, Euangelium ſuum propagare per cunctas Orbis regiones potuiſſe; & Apoſtolos Concilium Hieroſolymitanum abſque Seniorum interuentu celebrare? neque ideo, aut hos, aut illos ſuperfluos fuiſſe vllus prudens dixerit. Salutaris profectò, & laudata ſemper fuit Paſtorum Eccleſiæ Synodalis Congregatio; cùm, vt Chriſti, & Apoſtolorum veſtigia poſteri ſequantur; tum vt libera ſagaxque rerum decernendarum conquiſitio fiat in aperto nationum theatro: qua omnis impoſturæ, fraudis, aut ignorantiæ ſuſpicio tollatur. Abſit interea vt aliquis tam demens in Chriſtianorum numero reperiatur, qui Conciliorum authoritati ideo detrahere audeat, quòd humana induſtria magnum in illis pondus habere videatur. Non enim ſemper cœleſtibus oraculis Deus ocioſos inſtruit, ſed mortales conceſſa ſibi ratione vti aliquando cupit: vt eius fru-

ctum

ctum in diuinæ mentis arcanis inueſtigandis experiantur. Atque inde prouenit, vt plurima in Concilijs celebrandis turbida, confuſa, & vt verbo abſoluam, humana eueniant. Verùm vbi agitatis hinc inde magna contentione ſententijs, in veritatis dogmatibus maior meliorque Senatorum pars conſpirat; adeſt eorum mentibus, linguis, & manibus, vt promiſit Deus, à cuius facie ſpiritus erroris & mendacij fugit. Duo itaque in Concilijs præclara inueniuntur, quorum ſingula apud æquos rerum æſtimatores ratæ, atque indubitatæ fidei erunt: diligentia nimirum celeberrimorum hominum exacta, ac certum Dei præſentis moderamen. Illa, prudentum ſæculi contumax ſuperbia, ac profana Nouatorum ſomnia confunduntur: de quibus ſatis in præſentia dictum. Supereſt vt varia Conciliorum genera Lectori indicem, ne manca hac in parte diſſertatio appareat. Concilia ergo alia ſunt Oecumenica, ſeu generalia, ad quæ ex omnibus Chriſtiani Orbis regionibus Pontifices, ac Sacerdotes conuocantur: alia Prouincialia, quibus vnius Regni, aut Prouinciæ Prælati interſunt: ſunt etiam Epiſcopalia, ſeu Diœceſana, quæ ex vno Epiſcopo, & pluribus Sacerdotibus eidem ſubditis conflantur. Generalia Concilia in Chriſtiano Orbe celebria fuerunt; Hieroſolymitanum, cui Orbis Doctores interfuerunt, Apoſtoli ſcilicet, & Diſcipuli Chriſti: Nicænum primum, Conſtantinopolitanum primum, Epheſinum, Chalcedonenſe, Conſtantinopolitanum ſecundum, Conſtantinopolitanum tertium, Nicænum ſecundum, Con-

Digitized by Google

ſtantinopolitanum quartum, Lateranenſe primum, Lateranenſe ſecundum, Lateranenſe tertium, Lateranenſe quartum, Lugdunenſe primum, Lugdunenſe ſecundum, Viennenſe, Conſtantienſe, Florentinum, Lateranenſe quintum, Tridentinum. In hiſce varijs temporibus damnati hæreſeos Arius, Macedonius, Neſtorius, Eutyches, Monothelitæ, Photius, Lutherus, Caluinus, atque alij plures. Diuerſa præterea ſchiſmata profligata, atque multa ad Chriſtianæ Religionis ſecuritatem, & decus ſtabilita: quorum fructus ſalubres ad hodiernum vſque diem experitur Eccleſia. Nouatores, ſalua priorum aliquot Conciliorum reuerentia, poſteriora omnibus modis declinare conantur: ſed ineptè. Quis enim Nicænum primum pro Catholico admiſerit, Tridentinum quoque admittat neceſſe eſt. Hoc ſi Lutheri, ac Caluini ſequaces oppugnant, illud Ariani oppugnarunt, & numero longè plures, & dignitate multò præſtantiores: qui per omnes Eccleſiæ Prouincias ita erant diſſeminati, vt merito à prudentiſſimo viro dictum fuerit, Orbem ſe Arianum ingemuiſſe. Nolo interim de Conciliorum authoritate rationibus agere, quam ex illis Diuini verbi decretis aſſerui, quæ ab Aduerſarijs pro Canonicis recipiuntur. Hæc ſi ad priſca maiorum Concilia ab omni erroris calumnia vindicanda valuerunt; valebunt etiam in præſentia. Nam *Verbum Domini in æternum manet*. Prouincialia Concilia non modò ob priuatas vnius Regni, aut Prouinciæ neceſſitates conuocantur, verùm etiam ad totius nonnunquam Eccleſiæ pacem & tran-

quillita-

quillitatem procurandam: quando nimirum grauioris alicuius diſcriminis periculum impedit, ne omnes Eccleſiæ Senatores vnum in locum ſe recipere poſſint; aut naſcentes errores, vnius Prouinciæ viribus comprimi queant. Huiuſmodi Conciliorum decreta, ſi à Petri ſucceſſore probentur; vera certaque Fidei dogmata faciunt. Nam Priſcillianus, qui in Concilio Toletano primo, Heluidius, qui in Thelenſi, Pelagius, qui in Carthaginenſi damnati fuerunt; à tota Eccleſia pro hæreticis habentur. Accedit, quòd viri graues Hieroſolymitanum Apoſtolorũ Concilium, Prouinciale, non Generale fuiſſe conſtanter aſſerant: quod licèt ego ſuperiùs inter Generalia numerauerim, ob rationem ibi allatam, id potius feci vt normam idæamque Conciliorum omnium generalibus Concilijs præponerem, quàm vt à communi Doctorum ſententia hac in parte diſſentirem. Quod de Prouincialium Synodorum dogmatibus aſſerui, ea nimirum pro Catholicis recipienda, ſi à Petri ſucceſſore confirmentur, idem de Epiſcopalibus, quas vocant, dici poteſt: ob rationes, quas ſuperiùs in communi Conciliorum cauſa attuli. Hoc tamen inter generalia, & cetera Concilia diſcrimen eſt, quòd ad illorum dogmata tenenda, ac defendenda omnes omnino Chriſtiani ſint adſtricti: ad horum verò decreta obſeruanda, ſingularum Prouinciarum, aut Diœceſium ſubditi tantùm teneantur; niſi ſpeciale aliquod vniuerſalis Paſtoris mandatum accedat; cuius vocem audire debent, quotquot in ouili Chriſti locum habere deſiderant.

ASSERTIO VI.

De Eccleſiæ Doctoribus.

NEminem, vel mediocriter in ſacris Litteris verſatum, ignorare arbitror, quàm illuſtre atque venerandum ſit Doctorum Eccleſiæ nomen & munus: quorum originem ad Deum ipſum referendam Apoſtolus docet, ad Eph. 4. *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios verò Paſtores, & Doctores, ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti: vt non ſimus iam paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia ad circumuentionem erroris.* Horum itaque labore & induſtria, Chriſtiani non modò ab erroribus, verùm ab omni etiam dubio, & hæſitatione circa Fidem liberari poſſunt. Nec deſerendum ab vllo temerè grauiſſimum hoc Orthodoxæ veritatis propugnaculum; arx enim religionis eſt, quam quoties aggredi conati fuerunt hæretici, toties illos ad extremam deſperationem redactos, omnium ſæculorum teſtantur hiſtoriæ. Quare nulli mirum videri debet, ſi Doctorum Eccleſiæ authoritati omni conatu detrahere ſtudeant huius æui Nouatores, quam ſui ſimilibus exitioſam fuiſſe longa annorum experientia didicerũt. Hinc artes ſubdolæ, & pertinacia in Catholicorum dogmatibus apud ignauam plebem traducendis ſtudia. Nam

quò

quò faciliùs nobis inuidiam faciant, aſſerunt Doctorum ſcripta pari loco apud Catholicos eſſe cum Canonicis Diuini verbi Oraculis: quo neſcio an vllum fœdius excogitari poſsit mendacium. Fatemur nempe vnanimi conſenſu, quotquot Catholicam profitemur veritatem, Doctores ſingulos & homines fuiſſe, neque humani quicquam ab illis alienum putandum eſſe. Errare & decipi in multis, quædam etiam ignorare, potuerunt. Quid inde? numquid propterea ad Lutheri aut Caluini eneruanda deliria non ſatis virium habebunt? O infelicem Apoſtatarum conditionem! quorum tandem iudicio ſtabunt? A multis ipſius Canonicæ Scripturæ libris, ab Eccleſiæ tribunali, ab Apoſtolicis traditionibus, & Oecumenicis Concilijs prouocant, ad quem? an fortè ad Eccleſiæ Doctores? nil minus. Omnia apud hos occupata ſubſellia vident, nec angulum ſibi in quo lateant, ſupereſſe. Homines, inquiunt, fuerunt iſti, atque erroribus proinde obnoxij. Vos Angeli, vos Dij eſtis. Proh Deum immortalem! Monachus excucullatus, & plagiarius furcifer, clariſſimos præteritorum ſæculorum Scriptores, quia homines fuerunt, tanquam errorum ſuſpectos, à ferenda de Religione ſententia reijciunt; dum ipſi aut noua Fidei dogmata procudunt, aut erutas ex damnatæ memoriæ authoribus hæreſes miſeris mortalibus proponunt. In quos nihil grauius in præſentia decernam, quàm vt, vel ſe homines eſſe omnino negent, vel doctrinæ ſuæ errores palam, ac ingenuè profiteantur: alterutrum enim, quamcumque ſe in partem vertant, effu-

Digitized by Google

gere nequeunt. Dum iſti deliberant, ego ad Doctorum cauſam redeo. Hi, quando omnes,nullo,aut paucis exceptis, in aliquo Fidei articulo conſpirant, non minus ab errãdi ſuſpicione ſunt liberi, quàm ipſa Chriſti Eccleſia: illis quippe affuturum ſe promiſit Chriſtus, Matthæo teſte: & Apoſtolus laudato ad Epheſios capite, indicat Doctorum Eccleſiæ miniſterio fieri, vt non ſimus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ. Quod nulla ratione dixiſſet, niſi illos ſtabiles & extra fluctuationis periculum diuina reuelatione cognouiſſet. Huic quoque veritati patrocinatur experientia: cùm nec aduerſarij dicere audeant, omnes Eccleſiæ Patres aliquid vnquam ſcripſiſſe, aut docuiſſe,quod Canonicis ſacræ Scripturæ voluminibus, aut vlli Fidei dogmati fuerit contrarium. Fidem ergo in Eccleſia certam iure merito faciunt, quos antiquitas omnis, & communis vniuerſalis Eccleſiæ approbatio pro Magiſtris & Doctoribus, ſecundùm Chriſtum & Apoſtolos, admiſit: quoſque Chriſtianam Fidem per terrarum Orbem confirmaſſe, & natas diuerſis ætatibus hæreſes extinxiſſe conſtat: Quòd ſi Nouatores talem de prudentia & eruditione propria opinionem habeant, vt ſine graui famæ iactura Eccleſiæ Patres pro Doctoribus agnoſcere non poſſint; (nam Euangelij, vt ipſi loquuntur, reformatores ignorare,aut diſcere,indignum tanto miniſterio, atque loco probri ducunt) admittant ſaltem pro fidis teſtibus illius Fidei, quæ dum illi viuerent, in Eccleſia Dei pro vera, & Orthodoxa floruit: de hac quippe maxi-

mæ inter nos lites mouentur. Nam Sectarij auditoribus ſuis perſuadere conantur, Romanam Eccleſiam à priſtina Apoſtolorum, & ſubſequentium aliquot ætatum credendi norma defeciſſe: ſe vero id vnum agere, vt labentem Religionem ad priſcam illam, Deoque gratam veterum diſciplinam reſtaurent. Catholici è contrario, ſe tritis Maiorum veſtigijs conſtanter inhærere: illos vtro, & ignotas nonnullas antiquæ Eccleſiæ hæreſes excogitare, & alias ab eadem damnatas renouare. Hæc facti non iuris quæſtio eſt. Conſulatur antiquitas, in eorum ſcriptis, qui rerum geſtarum oculati auritique teſtes fuerunt. Hos ab omni erroris ſuſpicione liberos reddit celebris Eccleſiæ veteris conſuetudo; cui ſolemne vt nunc, ita olim fuit, pro materna in filios charitate, libros omnes, qui aliquid contra veram Religionem continebant, damnare; ne poſteritatem falſis dogmatibus inficerent: illos verò, qui Orthodoxam veritatem propugnabant, præclaris laudum præconijs æternitati commendare; vt ad frequentem eorum lectionem excitarentur Chriſtiani. Quod in decreto Concilij Romani, ante mille & ducentos annos de huiuſmodi ſcriptis edito, videre eſt. Accedit & aliud argumentum, ad Eccleſiæ Doctorum ſcripta ab omni calumnia vindicanda, grauiſſimum: vitæ nimirum, morumque integritas: quæ adeo Deo placere ſolet, vt ea præditos, non exſpectata communis Iudicij die, in ſperatæ beatitudinis conſortium adſcitos eſſe edicto publico denunciet. Patrum inſuper nonnulli eam Fidem, quam viui ſcriptis defenderunt, nobili liberaliq.

liberalique ſanguinis profuſione morientes confirmarunt. Hos teſtes, hos iudices admittimus. Cauſæ cedat neceſſe eſt, quiſquis ab hoc tribunali recedit. Integrum horum iudicium, incorrupta ſententia: quippe vt optimè D. Auguſtinus, cum veſtri ſimilibus agens, diſſerit, antiqui Patres *nullas nobiſcum vel vobiſcum amicitias attenderunt, vel inimicitias exercuerunt; neque nobis neque vobis irati ſunt; neque vos neque nos miſerati ſunt. Quod inuenerunt in Eccleſia, tenuerunt: quod didicerunt, docuerunt: quod à Patribus acceperunt, hoc filijs tradiderunt, &c.* Hinc quæſo nobis parcent, ſi vt mentiuntur Nouatores, ab eorum Fide receſſimus; aut illos, ſi antiquæ Fidei aſſertores fuerint, damnabunt? Prodeant igitur læti in certamen, qui æquitati cauſæ non diffidunt. Quid moras nectitis? quid pugnam declinatis? ratio in promptu eſt. *Nondum vobiſcum apud iſtos iudices aliquid agebamus, & apud eos acta eſt cauſa noſtra: nec nos nec vos ijs noti fueramus, & eorum pro nobis latas contra vos ſententias recitamus: nondum vobiſcum certabamus, & ijs pronunciantibus vicimus.* Hæc non mea, ſed D. Auguſtini verba ſunt.

ASSER-

ASSERTIO VII.

De Miraculis.

TAlis eſt humani intellectus imbecillitas, talis in rerum cauſis inueſtigandis negligentia: vt de maximis præſtantiſſimiſq. Diuinæ potentiæ operibus, aut nihil, aut parum cogitet, minora quæque ſuſpiciat. Quid, quæſo, circa hominem conſiderandum occurrit, quod non ſit minus ipſo homine? quicquid in terra pro magno extuleris, cedet non modò terræ fabricæ, ſed quotidiani etiam animalium, frugum, fructuum, atque florum productioni. An vlli ſanæ mentis magnificentius videri debet, tempeſtatem maris ſedare, quàm immenſam tumentis Oceani molem, ita ſuis ponderibus libraſſe, vt proprijs contenta limitibus, perpetuum ſolo naufragium minetur; ita animantibus forma inter ſe contendentibus locupletaſſe, vt noui mundi ſpeciem referat? Nolo ſingulos terræ, mariſque fœtus recenſere: cùm plura in vna formica miranda inueniantur, quàm vniuerſi Philoſophi hactenus inueſtigarint. Neque in cælum tranſire animus eſt: verendum quippe ne Beati ſupernarum ſedium cuſtodes, meritas à me ignauæ curioſitatis pœnas depoſcant. Nunquid non dolendum, vel nullos, vel paucos reperiri, qui ſplendidum illud Solis iubar tot admirandarum rerum perenni, fertilique curſu artifex, aliquid præclarum facere credant; cùm nemo ſit

tam

Digitized by Google

tam hebetis ingenij, qui ſumma admiratione non capiatur, ſi radij ſolares interpoſito lunæ globo paululum ſuſpendantur? Hæc atque multo hiſce præſtantiora, quæ de Dei operibus, infinitæ illius maieſtatis indicibus, dici ſolent, volens omitto: quòd hæc à Iudæis non minus quàm Chriſtianis, ab hæreticis æque atque à Catholicis afferri poſſint: Deus enim ſolem ſuum facit oriri ſuper bonos & malos: & ad ea venio, quæ in ſacris Litteris alijſque fide dignis voluminibus, optimum & prudentiſſimum quemque in ſui admirationem, traxiſſe narrantur. Nam communes hos Dei operantis partus, quamuis ingentes, quamuis immenſi ſint, nemo rectè miracula dixerit: cùm mirum non ſit, eum, cuius virtus nullis clauditur terminis, mundum hunc produxiſſe, Authoris potentia infinitis partibus minorem. Verùm dum homo aliquis, notæ heu nimium fragilitatis, talia efficit, quæ humanæ naturæ vires excedunt; tum ſapientiſſimus quiſque ſtupet, miratur, & cæleſtem vim in viro mortali fatetur. Hinc Deus, qui tot pręclara opera in mortalium gratiam produxit, cùm probè ſciat, minima quæque, ſi à trito naturæ curſu recedant, plus ad homines mouendos valere, quàm vaſta cæli terræque machina; quoties cæleſtis aulæ decreta mundo patefacere voluit, nuncios ſuos illis armauit viribus, quæ ſapientibus admirationi, ceteris ſtupori eſſent. Moyſi certè parum profuiſſet Diuina mandata, ne dicam Pharaoni, ſed nec ipſi Iſraëlitico populo expoſuiſſe, niſi eadem iteratis ſignis & prodigijs muniuiſſet. Quid de Elia, Eliſæo, alijſque

Prophe-

Prophetis dicam? Chriſtus ipſe Dei Filius, cui fidele teſtimonium Scripturæ omnes perhibebant, ita vt è ſolis veteris Teſtamenti locis, ac prædictionibus, ſe Meſſiam conuincere potuiſſet, & doctrinæ ſuæ veritatem probare: voluit nihilominus eandem quoque miraculis roborare; quæ in eo qui noui aliquid circa Religionem affert, adeo ſunt neceſſaria, vt illis potiſſimum obſtinatam Iudæorum perfidiam frangi debuiſſe Chriſtus ipſe teſtetur. Ioan. 10. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, & mihi non vultis credere, operibus credite.* Atque hinc eſt, quòd vel ſanguineis lacrymis deploranda earum gentium cœcitas videatur, quæ ab Orthodoxa Catholicæ Eccleſiæ Fide receſſerunt, ijs ducibus, qui noua & inaudita de Religione dogmata nunquam aliter, quàm importuno dentium ſtridore, atque rebellium armorum ſtrepitu probauerunt. Horum ego intempeſtiuos clamores ſi non audiam, venia, vt ſpero, apud æquos iudices dignus exiſtimabor. De religione quæſtio eſt: noſtra Orbis totius impietatem debellauit, traxitq. in ſui obſequium, doctrinæ veritate, & varietate miraculorum, omnem humanam rationem. Aduerſariorum è contrario tanta eſt impudentia, vt cùm miracula facere nequeant, (qua enim virtute facerent?) miraculorum authoritatem, quamuis ab ipſo Chriſto inſtar lapidis Lydij doctrinæ probata ſit, infringere non erubeſcant. Hoc non alijs moliuntur rationibus, quàm quibus olim Scribæ, & Phariſæi Saluatoris opera impugnabant: in

Beelze-

Beelzebub nimirum Principe dæmoniorum, vt ille, ita nos dæmonia eijcere, aliaque patrare miracula: quaſi non ſcriptum eſſet, *Omne regnum in ſe diuiſum deſolabitur*. Nimia profectò, nulliſque, præterquam Nouatoribus, credenda erit hæc malorum dæmonum charitas: nec vero ſimile putabitur, illos Catholicæ Fidei profeſſoribus miniſtrari: à quibus, aris, delubris, lucis, omnique vſurpatæ per nefas Diuinitatis cultu, per vniuerſum penè terrarum orbem ſpoliati ſunt. At miracula, inquiunt Sectarij, ab illis tantum videntur exigenda, qui nouam aliquam legem de Diuinis promulgari tentant; non verò ab ijs, qui latæ promulgatæque inhærent. Quicquid ſit de hæreſium veſtrarum congerie, quæ ante Lutheri, Caluinique apoſtaſim nuſquam gentium tota comparuit: falſum illud, ac ſcutica dignum, à Legiſlatoribus tantùm miracula eſſe expetenda: hos binos ſolùm Chriſtiana Fides agnoſcit? cùm rerum mirandarum artifices tantam turbam faciant, vt nec ab aduerſarijs ipſis certus eorum numerus iniri poſſit. Repetantur Prophetarum Teſtamenti veteris geſta, qui poſt Moyſen & ante Chriſtum vixerunt, quot & quanta bone Deus! prodigia, quot naturæ ſubiugatæ reſplendent trophæa? Hæc non ad nouas Leges ferendas, ſed ad latas à Moyſe roborandas, facta, Scriptura teſtatur. Quid de præclaris eorum qui à Chriſto ad Eccleſiam miſſi fuerunt, facinoribus dicam? quibus pleni ſunt tam profani, quàm ſacri Scriptores. Nec pluribus opus ad miraculorum aſſeren-

dam

dam neceſſitatem, quàm quæ in Euaugelio leguntur: *Signa autem eos qui crediderint, hæc ſequentur: in nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis: ſerpentes tollent: & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Super ægros manus imponent, & bene habebunt*, Marci 16. Non igitur ſine ratione, ſignorum tributa à Nouatoribus exigimus, qui latentis plurima ſæcula Voluntatis diuinæ Interpretes, atque Euangelij ipſius Reformatores haberi volunt. Conſtat autem Deum neminem in mundum hunc extra communem ordinem delegare, niſi quem digna tanto Principis miniſtro potentia ornauerit. In Chriſti Eccleſia ea quotidie cernuntur miracula, quorum aliqua Obiecta Fidei in Scholis nominantur, alia veræ Fidei Teſtes, ſeu Motiua. Hiſce licèt opus in præſentia non ſit, ea tamen eſt diuinæ Bonitatis immenſitas, ea in hominum ſalute procuranda vigilantia, vt nihil ab Eccleſia ſua deſiderari ſinat, quod vel ad nutantes in Fide roborandos, vel ad ſtabiles delectandos conducere poſſit.

Maximum ad Sectariorum impietatem, atque temeritatem reprimendam argumentum.

* *
*

ASSERTIO VIII.

De Authoritate humana.

QVamuis vniuerſa Orthodoxæ Religionis fabrica, quanta quanta eſt, diuinorum Oraculorum fundamentis, tanquam ſolidæ erroriſque neſciæ veritatis columnis, innititur: non tamen propterea humanæ authoritatis conſortium declinat, vt falsò huius æui Nouatores cùm proſcriptæ Gentilitatis defenſoribus opinantur. Tanta enim eſt cæleſtis huius doctrinæ vis, tantus in dogmatibus ſuis aſſerendis vigor; vt præſtantiſſimum bene cultæ rationis opus, Philoſophiam naturalem; vt arctiſſimum humanæ ſocietatis vinculum, Leges; vt denique fugientis æui remoram, Hiſtoriam, in partes ſuas, & obſequium traxerit. nec mirum. Licèt quippe plurima ſint Chriſtianæ Fidei myſteria, quæ humanæ imbecillitatis captum ſuperant: quæ tamen rectè aduerſentur rationi, nulla omnino. Quare vbi de illa Religione quæſtio erit, quæ plurima ante ſæcula Platonem, Ariſtotelem, atque ceteros Philoſophiæ naturalis Principes in triumphum ductos Chriſto ſubiecit; nemo vel mediocriter in litteris verſatus, inania Sectariorum ſophiſmata, aut fallacias verebitur. In aciem Philoſophicam prodeant Nouatores, in qua præter Auguſti-

nos,

nos, Hieronymos, & ſexcenta alia Chriſtianæ eruditionis decora (de quibus tot victoriæ, & triumphi de hæreticis relati feruntur, quot pugnæ) inuenient vnam virginem Catherinam, integrã Philoſophorum turmam non ſolo Fidei ardore, ſed grauiſſimis etiam rationum momentis deiciſſe. Quicquid porrò Philoſophi veteres benè prudenterque docuerunt; id totum ex ipſo veritatis fonte eos hauiſſe in confeſſo eſt: verùm dum in cælum ſcandere, atque cauſas, quæ humanæ mentis aſpectus latent, inquirere tentarunt, in grauiſſimos errores ad vnum omnes lapſi ſunt; ex quibus non niſi docente Deo, euadere poteſt mortalis fragilitas. Mea ergo parum intereſt, quid Plato, aut Ariſtoteles cenſuerit de Mundi origine, immortalitate animæ, venerandæ Triados Vnitate, ac ſimilibus; quorum certa cognitio non aliunde, quàm ex diuinis Oraculis hauritur. Nihil profectò circa Fidem authore Platone, aut Ariſtotele credo: neutrius tamen philoſophandi methodum, etiam vbi de Religione agitur, inire recuſo. Ancilla eſt, non Domina, Philoſophia: cùm de principijs conuenit, parùm refert vtrum cum Platone interroges, an cum Ariſtotele arguas. Verùm Nouatores, qui multifaria experientia ſatis ſuperque didicerunt, quid Orthodoxa veritas in Philoſophorum exedris poſſit, non prodeunt libenter in arenam Scholaſticam, niſi valido Legum præſidio tegantur: ſic vbi ratione vincuntur, victores Legibus opprimunt. Quas Leges, Deus immortalis, no-

bis obtrudunt! recentiora nimirum aliquot Comitiorum Britanniæ, Daniæ, Sueciæ, & Ciuitatum nonnullarum Germaniæ decreta, cum appendicibus rebellium Batauorum. Illa ſcilicet ſe iactat in aula, hæreſis. Itali, Galli, & Hiſpani, cum reliquis Chriſtiani Orbis incolis, Leges veſtras rident, tanquam priuati, & coacti, non publici, liberique iuris. Leges itaque, quas condidiſtis, cauſæ veſtræ in nullo iudicio ſuffragari poſſunt: eandem nempe, quam vos ipſi authoritatem habent. Quare illis in præſenti controuerſia vtendum, quas communis ætatum, Principum, & Nationum conſpiratio omni exceptione maiores fecit. Haſce fugitis, conſcij nimirum nullam vnquam Religionem adeo Legibus armatam fuiſſe, atque Catholicam; quam tot Imperatores, Reges, Duces, & Reſpublicæ ſtudio indefeſſo, ſingularique diligentia fouere, munire, atque ornare contenderunt. Nam ſiue publica Imperij florentis decreta, ſiue priuatas Regnorum conſtitutiones reuoluamus, Catholicæ Religionis decora, maieſtatemque vbique reſplendentem cernemus. Et ſi Imperatores, à Conſtantino Magno ad Ferdinandum Cæſarem; Galliæ Reges, à Clodouæo ad Ludouicum Decimumtertium; ſi Hiſpaniæ, à Racharedo ad Philippum Quartum; ſi Angliæ, à Lucio ad Henricum Octauum; Scotiæ, à Donaldo Primo ad Iacobum VI. æquo iure Leges condere potuerunt; Nos Legum authoritate vicimus. Omitto immenſa illa Eccleſiaſtici iuris volumina, quorum rata eſſe debet

ſenten-

Digitized by Google

ſententia in cauſa Religionis. Hiſce adde ſacrorum Conciliorum placita, & Pontificum Conſtitutiones, qui à Diuo Petro ad Vrbanum Octauum Chriſti Eccleſiam rexerunt. in quibus, alijſque Catholicæ Religionis propugnaculis; ſi quid adulterum, aut minus ſincerum ſuſpicentur aduerſarij, aduocentur Hiſtorici: qui de Chriſtianorum rebus ſine fuco, ſine fallacia ſcripſerunt. horum quoque arbitrio ſtabimus. Antiquiores, ex quibus veterum monumenta depromere ſolent Nouatores, ſunt hi; Euſebius, Damaſus, Hieronymus, Ruffinus, Oroſius, Sulpitius Seuerus, Socrates, Sozomenus, Theodoretus, Caſſiodorus, Gregorius Turonenſis, Anaſtaſius, Vſuardus, Rhegino, Marianus, Sigebertus, Zonaras, Cedrenus, Nicephorus. Omnes hos, vt fideliſſimos hiſtoriæ Scriptores, & dignos antiquitatis teſtes, admittimus: ex quorum libris ſi aut Catholicos ab Apoſtolica maiorum Fide defeciſſe, aut Sectarios eorumdem veſtigijs inhæſiſſe conuicerint, manus dabimus. Neque laudatos tantùm authores admittimus, ſed ſi quid præterea reperitur, quod in re dubia, ac controuerſa fidem certam facere poteſt, in illud prompto libentique animo conſentimus: non quòd huiuſmodi probationibus opus habeat Catholica veritas, ſed vt infirmorum ſaluti omni ope, operaque conſulatur: nam *omnibus* cum Apoſtolo *debitores facti ſumus*. Quoniam igitur non pauci reperiuntur, qui in ſola Philoſophia colenda vitam exegerunt; Nos Philoſophorum certandi morem non de-

trectamus. Sunt qui nudi Iuris voluminibus tantùm ſtuduerunt: Nos à Legum decretis nunquam recedemus. Hiſtorias denique cum earundem peritis laudamus, & amplectimur. Vna Catholicæ Religionis gloria eſt, quòd nullam fugiat lucem, nullum auerſetur certamen

GEOR-

Digitized by Google

GEORGII CONÆI ASSERTIONVM CATHOLICARVM LIBER SECVNDVS.

De ijs Fidei dogmatibus, quæ à Nouatoribus corrumpuntur.

ASSERTIO PRIMA.

DE CHRISTO.

EXPLOSOS olim veterum Hæreſiarcharum de Chriſti diuinitate errores renouare, cùm nec tutum, nec commodum ſibi videret huius ſæculi Nouatores, recentia quædam dogmata, antiqua conſperſa impietate, excogitarunt; quibus & meritis, & Numini redemptori fœdiſſimas labes aſpergere conati ſunt. Noluerunt quippe omnis Catholicæ veritatis hoſtes mitiùs cum Chriſto, quàm cum ipſius Sponſa Eccleſia agere: nam vt hanc errare poſſe, atque erraſſe ſæpius, ita illum multa ab initio ignoraſſe, quæ paulatim didicerit, aſſerere non erubuerunt. Ingens profectò blaſphemia, Arianæque prauitati conſimilis. Ex qua ſequitur manifeſtè,

niſeſtè, vel Chriſtum aliquando Deum non fuiſſe, vel Deum aliquando ignorantiæ tenebris offuſcatum: quorum vtrumque non temerarium modò, ſed impium quoque, & ſacrilegum ab omnibus Chriſtianæ Fidei profeſſoribus cenſebitur. Chriſtus enim verus Deus de Deo, humanam naturam in diuinæ Maieſtatis conſortium ita aſſumpſit, vt nullo vnquam temporis momento eius Humanitas ſine Diuinitate fuerit. Et quamuis multa de Humanitate Chriſti dici poſſunt, quæ de Diuinitate non poſſunt, & vice verſa; nihil tamen de Chriſto abſolutè dicendum, quod hypoſtaticæ Dei cum homine vnioni obeſſe, aut detrahere quoquo modo valeat. Errant propterea ineptiſſimè more ſuo Nouatores, cùm Chriſtum quædam ab initio ignoraſſe docent: cùm nihil vnquam ignorare potuerit ille, qui ſemper fuit Deus, perfectiſſimus, ſapientiæ fons, & origo ſcientiæ. Alia hæreſis tam Caluini, quàm Lutheri aſſeclis communis, eſt Chriſtum tam ſecundùm diuinam, quam humanam naturam, Mediatorem eſſe inter Deum, & homines. Nouum ad Chriſti Diuinitatem oppugnandam argumentum; quod nullius omnino momenti eſſe poteſt apud eos, qui vera fide credunt, Chriſtum, qua Deus eſt, eſſe Patri, & Spiritui ſancto æqualem, ac pari cum vtroque ſtudio de humanis ſceleribus placandum. Adde, quòd illa omnia, quæ Chriſto ratione Deitatis conueniunt, verè de ipſo etiam ante aſſumptam Humanitatem dici potuerunt. Hac verò non alio fine ſe veſtiuit, quàm vt hominum Redemptor, atque Mediator

tor

Digitized by Google

tor inter hos, & Deum eſſet, ac vocaretur.

Sunt præterea nonnulla de Chriſto hæreſum germina, à ſolis Caluinianarum partium ſtudioſis exculta: illum nimirum morte propria nihil ſibi meruiſſe: non eſſe mortuum pro omnibus: non verè ad Inferos deſcendiſſe: in Cruce deſperaſſe. Quæ ſingula ordine percurram.

De meritis Chriſti aliquid ferendum ſaltem dixiſſent aduerſarij, ſi negaſſent eum meruiſſe, quòd meritis non egeret ob arctum Diuinitatis cum humanitate vinculum. Verùm hæc doctrina locum nullum habet inter eos, qui Chriſtum ignorantia aliquando laboraſſe credunt. Nam qui ſcientia naturali ſine Diuinitatis læſione deſtitui potuit; potuit multo magis gloria, claritate, corporis exaltatione, & ſimilibus, quæ meritis acquiruntur, carere. His itaque omiſſis, aſſero Chriſtum non nobis ſolùm, verum ſibimetipſi quoque per mortem, & paſſionem inſignia merita acquiſiuiſſe. vt ex Ioan. 17. cap. patet: *Pater venit hora, clarifica Filium tuum, vt Filius tuus clarificet te.* Celebre præterea eſt illud D. Pauli ad Philip. 2. *Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem Crucis: propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.* & ad Hebr. 2. *Videns Ieſum propter paſſionem mortis, gloria, & honore coronatum.* Propter mortem igitur, & paſſionem nomen ſuper omne nomen obtinuiſſe, atque gloria & honore coronatum, diſertè teſtatur Apoſtolus. Hiſce fruſtra illa Scripturæ loca opponunt aduerſarij, quæ do-

Digitized by Google

cent Chriſtum pro hominibus natum, atque iiſdem datum, cùm tanta fuerit eminentia meritorum illius, vt & nos redimere, & ſibi gloriæ coronam mereri ſufficerint.

Vtrum pro omnibus hominibus mortuus ſit Chriſtus, vt Catholica docet Eccleſia, an pro ſolis prædeſtinatis, vt cum ſuis Caluinus; non aliunde, quàm ex ipſis Diuini verbi Oraculis inquirere ſtatui. Perlege ergo bona fide, mi Lector, Chriſti ipſius verba, quæ mox ſubiungam; atque fatere ingenuè, cui potiſſimum ſententiæ faueant. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos*, Matth. 11. & Marci 16. *Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ*. D. Ioannes Euangelij ſui cap. 1. de Chriſto loquens, ait: *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*; & D. Paulus 2. Corinth. 5. *Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus*. Idem 1. Timoth. 1. *Dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus*. Iam verò ſi rationem quæris, cur omnes homines non ſaluentur, audi Apoſtolum, Actor. 7. *Dura ceruice, & incircumciſis cordibus vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis*. Hinc nemo rectè pretium Redemptionis defuiſſe reprobis dixerit, quamuis damnati fuerint. Siti enim in medijs vndis perire poſſunt illi, quibus obſtinata eſt moriendi voluntas. Atticus Ciceronis familiaris, vt Cornelius nepos refert, & Iulius Agricola, authore Tacito, inedia ſibi vitæ finem accelerarunt; licèt non deeſſent in ampliſſimis familijs ciborum varia genera, adeſſentque, qui eadem magno, atque importuno penè ſtudio miniſtrare

niſtrare ægrotis cuperent. Peto iam ab illis, qui pro ſolis prædeſtinatis mortuum Chriſtum contendunt, quid ad duo Matthæi loca reſpondeant, vbi Chriſtus ait: *Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores*, cap. 9. & 15. *Non ſum miſſus niſi ad oues, quæ perierunt Domus Iſraël.* Ex primo loquitur, ſolos vocatos, ſeu prædeſtinatos; (nam ex Apoſtolo, *quos vocauit, hos prædeſtinauit*) eſſe peccatores. Ex altero, nec Caluinum, nec ipſius aſſeclas eſſe prædeſtinatos; cùm non ſint oues perditæ Domus Iſraël, ſed Romanæ veræque Fidei deſertores, fœdiſſimarum hæreſum Architecti.

Deſcenſum Chriſti ad Inferos clarè probat Symbolum Apoſtolorum, quod ab horum temporibus in Eccleſia Dei ſecundùm verum, realemque verborum ſenſum, *deſcendit ad Inferos*, lectum, creditumque fuit. Hinc conſona ſunt Scripturæ teſtimonia, Matth. 10. *Sicut fuit Ionas in ventre Ceti tribus diebus, & tribus noctibus, ſic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.* & Eph. 4. *Quòd autem aſcendit, quid eſt, niſi quia & deſcendit primum in inferiores partes terræ?* quæ de ſepulchro, in quo repoſitum ſacroſanctum Chriſti corpus quieuit, nullo modo intelligi poſſunt, vt Sectarij volunt: nam illud in ſuperficie, non in corde, aut inferioribus terræ partibus ſitum erat. Verùm hi, qui mendacia, & errores cum Iudæis ex Domini ſepulchro referre conantur, vt mortales à veritatis notitia ſeducant; aut docendi, aut confundendi ſunt à D. Petro, qui ſummo mane ad monumentum properauit; ex quo præcipuum Fidei noſtræ funda-

mentum retulit: Chriſtum ſcilicet ex Inferis reducem à morte ſurrexiſſe. hic epiſt. 1. cap. 3. *Mortificatus quidem carne, viuificatus autem ſpiritu: in quo & his, qui in carne erant, ſpiritibus prædicauit*. Chriſti igitur anima ex ſententia D. Petri verè ad Inferos deſcendit. Caluinus ſubdolus hæreſum artifex, errores erroribus fulcire ſolitus, quo laudata Scripturæ Oracula facilius eludat; ait deſcenſum Chriſti ad Inferos intelligendum eſſe de pœnis, quas poſt mortem paſſus eſt, cruciatibus damnatorum æqualibus. Has ex Act. 2. ſe didiciſſe gloriatur; *quem Deus ſuſcitauit ſolutis doloribus Inferni*. Soluit ſine dubio, atque irritos reddidit Inferni dolores Chriſtus, non quia hoſce paſſus aliquando fuerit, vt ex ſequentibus patet, *iuxta quod impoſſibile erat teneri illum ab eo:* ſed quia humano generi debitos, caſſos, atque irritos fecerit. Hæc Caluini hæreſis, quæ blaſphemia rectiùs diceretur, ſatis conuincitur ex illis Scripturæ locis, quæ teſtantur, Chriſtum ſanguine, morte, & cruce Redemptioni humanæ finem impoſuiſſe; qui ſi ſubeundos damnatorum cruciatus poſt mortem ſibi vidiſſet, nequaquam pœnitenti Latroni dixiſſet: *Hodie mecum eris in Paradiſo*. Inferni enim, non Paradiſi ſpeciem præbuiſſet locus quilibet, in quo Dei Filius damnatorum tormentis fuiſſet ſubiectus. Accedat pro huius veritatis coronide, quòd ipſa Veritas animam poſitura protulit elata voce: *Conſummatum eſt*. Quodnam, rogo, hoc conſummationis genus fuiſſet, ſi Chriſto grauiora multo poſt vitam, quàm in ipſa morte deſtinabantur ſupplicia?

Digitized by Google

Venio tandem ad vltimum eorum, quæ initio de Chriſto examinanda propoſui: an ſcilicet in Cruce deſperauerit? Caluinus aſſerit ex illo Matth. 27. *Deus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me!* Horret animus, refugeretque à ſuo munere dextera, niſi ad tantam impietatem debellandam arma eſſent ſumenda. Chriſtus Patrem æternum geminata voce inclamat, quem Deum vocat, & Deum ſuum, inuitatque ad dolorum, quos ipſe pro humano genere patiebatur, magnitudinem perpendendam. Hæc à Caluino deſperantis potius, quàm admirantis vox creditur; cui D. Luca teſte mox ſubiungitur: *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum*. In cruce deſperare potuit Chriſtus, qui bono Latroni pœnitentiam de ſceleribus agenti, Paradiſi gaudia promittit, ne in deſperationem incidat? qui nihil omnino pati potuit, niſi quod & quantum ipſe vellet? qui denique Deus non minus quàm homo, iudex, ac reus, omnium Dominus, & Moderator, atque futuræ felicitatis æquè, ac præſentium tormentorum contemplator, verè fuiſſe cognoſcitur?

ASSER-

ASSERTIO II.

De Peccato.

QVoniam in omni de Religione controuerſia, frequens peccati mentio fieri ſolet, in quod non minus quàm in cetera Fidei noſtræ dogmata, peccauerunt Nouatores; operæ pretium duxi eius tractationem alijs à me in operis huius decurſu delibandis præponere. Eſt ergo *peccatum* (vt à defininitione exordiar) *iuſtitiæ cæleſtis*, quam ſupernaturalem in Scholis vocant Theologi, *priuatio*. Diuiditurque ex communi Chriſtianorum penè omnium ſententia in Originale, & Actuale. Originale protoplaſtes Adam ſine poſterorum culpa contraxit, dum vetitum expreſſo Dei mandato pomum comedit. Sic enim iuſtitiam, & ſanctitatem illam, quæ ex mera Conditoris liberalitate ipſi collata fuit, miſerè, proh dolor, amiſit: atque hac demum ratione ſe, ſuoſque malè perdidit. Iuſtitia hæc non ſolùm mentem ſubijciebat Deo per ſupernaturales habitus Fidei, Spei, Charitatis, & Gratiæ iuſtificantis; verùm carnē inſuper ad animæ obſequium trahens, omnes ſenſuum appetitus recto rationis frœno moderabatur. Vtroque hoc bono mortales priuauit Adæ crimen. Prioris iacturam Chriſti ſanguis nobis in baptiſmate collatus abundè reſarcit, in quo originale peccatum infuſione Fidei, Spei, Charitatis omnino tollitur. Poſterioris reparationem non in mor-

tali hac vita, ſed in cæleſti Beatorum Patria ſperandam eſſe, Catholica Religio conſtanti experientia munita nos docet. Nam vt optimè Apoſtolus ad Galathas 5. *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum*. & ad Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*. Ex quibus facilè patet, quàm falsò, vt ſemper, Nouatores affirment, peccatum originale eſſe concupiſcentiam, ſeu pronam voluntatis propenſionem ad malum. Nam D. Paulus, qui ſe concupiſcentia vexari fatetur, ſalutari Baptiſmi fonte ab omni peccati originalis macula erat liberatus. Neque allatæ veritati obſtat quod de Chriſto afferre ſolent; illum nimirum omnes humanas miſerias, ſolo excepto peccato, aſſumpſiſſe: qui, teſte Apoſtolo ad Heb. 2. *debuit per omnia fratribus ſimilari*; cùm verò concupiſcentiam non aſſumpſerit, contendunt, illam rationem peccati habere. Quæ ſi vera eſſent, eadem de ignorantia, morbis corporis, & animi, fomite peccati dicenda eſſent: hæc enim peccatā non ſunt. Quare dum miſerias humanas induiſſe legitur Chriſtus, de ijs miſerijs Scripturæ verba intelligenda ſunt, quæ ad ſalutis noſtræ reparationem quoquo modo conducere poterant; inter quas locum nullum habet concupiſcentia. Inſtant iterum Nouatores, Concupiſcentiam non eſſe à Deo. 1. Io. 2. ac propterea in peccatis numerandam. Sed nihil euincunt: quia licet Deus concupiſcentiam non creauerit, illam certè naſci permiſit ad peccatum vindicandum. Sublata enim originali iuſtitia, humana natura, concupiſcentia, atque alijs pluribus morbis remanſit oppreſſa.

preſſa. Quòd ſi in aliquibus Scripturæ locis concupiſcentia *peccatum* vocetur; id neminem à propoſita veritate deterreat: nam peccati nomen aliquando ſenſu minus proprio in ſacris Litteris vſurpatur, vt 2. Corinth. 5. vbi Chriſtus vocatur peccatum, quia illud expiauit. & Zach. 14. *Hoc erat peccatum Aegypti:* quod de pœna inflicta Ægyptijs pro peccato intelligendum eſſe, ex ipſo contextu ſermonis manifeſtum eſt. Sumitur etiam nonnunquam pro cauſa peccati. *Non regnet peccatum in corpore veſtro mortali,* Rom. 6. hæc de Originali. De Actuali peccato, quod in Mortale, & Veniale diſtinguitur, eodem modo differunt Sectarij noſtri, quo olim priſci illi, Iouinianus, & Pelagius: quorum dogma erat, omnia peccata ex natura ſua eſſe mortalia, eo quòd morti æternæ obnoxios homines facerent; venialia autem dici illa, quæ à Deo non imputarentur. Ex horum ſententia omnia reproborum peccata, mortalia dicuntur; prædeſtinatorum è contrario, venialia. Quòd interim peccata ſingula ex ſua natura ſint mortalia, probare conantur Scripturæ teſtimonio. Ezech. 18. *Anima, quæ peccauerit, ipſa morietur.* & Rom. 6. *Stipendium peccati mors.* Hæc ſi vera eſſent eo ſenſu, quo à Nouatoribus in medium afferuntur, prædeſtinati ipſi morte æterna eſſent puniendi; quos peccare aliquando adeo certum eſt, vt à nullo negari poſſit. Quare fatendum eſt, Ezechielem citato loco agere de Idololatria, adulterio, homicidio, & ſimilibus; vt clarè legenti apparet: Paulum verò de immunditia, & iniquitate: quæ peccata eſſe mortalia, nullus vnquam Catho-

lica

lica doctrina imbutus negabit. Sic Iac. 2. *Qui offendit in vno, factus eſt omnium reus*: ſermo eſt de Lege Decalogi. Eundem errorem ſtabilire ſtudent Nouatores ex eo, quòd omne peccatum, Deum, qui eſt infinita bonitas, offendat, violetque ipſius Legem. Sed nihil concludunt; cùm quædam peccata ita Deum offendant, vt non diſſoluant eius amicitiam. Hæc licèt ſint contra Legem, non propterea charitatem, quæ eſt finis Legis, deſtruunt. Quod ne gratis à me dictum quis putet, audiatur Author & Magiſter Legis, Matth. 5. *Qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio: qui autem dixerit fratri ſuo Racha, reus erit concilio: qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis*. En tria peccatorum genera ſuis ſingula pœnis diſtincta: quorum vltimũ tantùm dignum cenſetur morte æterna, ex illius decreto, qui viuos, & mortuos eſt iudicaturus. & Lucæ 6. *Quid vides feſtucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo eſt, non conſideras?* vbi manifeſta peccati leuioris à graui diſtinctio ponitur.

Supereſt quæſtio de authore peccati, in qua Nouatores, hæreticorum veterũ Cerdoniſtarum, Marcioniſtarum, Priſcillianiſtarum, Albigenſium, aliorumque impietatem ſequuti, tradunt, Deum totius boni fontem, & originem, peccati authorem eſſe. Error ab ipſiſmet Philoſophis Ethnicis, qui ſapientiæ laude claruerunt, exploſus, & fusè, atque ex profeſſo à ſanctis Patribus Auguſtino, Baſilio, Irenæo, alijſque, qui veritatis cauſam contra prædictos hæreſum anteſignanos tutandam ſuſceperunt, confutatus. Loca verò Scripturæ,

quæ

quæ pro ſe, ſuiſque affert Caluinus, adeo dilucidè à D. Auguſtino in libro de libero arbitrio expoſita ſunt, vt nihil à quoquam mortalium addi poſſit. Neque laboris magni opus videtur, ſacra volumina à tali calumnia vindicare: quorum clara ſunt pro veritate teſtimonia. Habac. 1. *Mundi ſunt oculi tui ne videant malum, & reſpicere ad iniquitatem non poteris*. Pſal. 5. *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es*. & 2. Petri 3. *Deus neminem vult perire*. His atque ſimilibus Scriptura manifeſtè conuincit, Deum velle bonum, & nolle malum: certum autem apud omnes eſt, eum voluntate ſua omnia facere. Qua porrò ratione Deus ſe gerat circa actiones malas, non eſt præſentis loci: nam ſi Theologorum ſcholam ingrediar, non adeo facilis erit regreſſus. Rem tamen paucis ita explanabo, vt capi à rudioribus, nec à peritioribus ſperni poſſit. Omnis humana operatio ſiue bona ſit, ſiue mala, Deum habet authorem, & cooperatorem, à quo, in quo, & per quem ſunt omnia. In illa, duo conſideranda occurrunt: vnum eſt ipſamet entitas operationis, alterum reſpectus, ſeu relatio ad Legem Dei, quæ in intentionis rectitudine fundatur. Entitas operationis bona eſt bonitate naturæ, qua ens omne *bonum* dicitur: ſed bonitatem, aut malitiam moralem deſumit ex deformitate, vel conformitate, quam habet ad Legem Dei. Deformitas verò illa cùm re vera nihil ſit, neque aliter explicari poſſit, quàm nomine erroris, defectus, imò, & nihili, non poteſt eum habere authorem, qui *vidit omnia quæ fecit, & erant valde bona*. Cauſa interim, cur deformitatis author appelletur

pelletur homo, hæc eſt; quod cùm is ad rectitudinem Legis totis viribus aſpirare teneatur, quam mediante auxilio Diuino aſſequi poteſt: eam tamen negligat, præferatque recto, & æquo errorem. Vlterius verò, quòd entitas actionis, cuius Deus ſimul cum homine author atque opifex eſt, nullam habeat ex natura ſua peccati malitiam, vel ex eo manifeſtè probatur: quòd nulla humana operatio talis ſit, quin aliquo ſaltem caſu rectitudinis, bonitatiſque moralis particeps, aut ſaltem à quacunque deformitate libera ſit. Poteſt enim aliquis hominem occidere, ſaluo præcepti de homicidio non faciendo vigore; alienum rapere, nec furti reus eſſe; cum muliere coire, nec adulterio fœdari; falſum dicere abſque infamia mendacij. & ſic de alijs. Hæc omnia ſi ea ratione fiant, qua à Deo præcipiuntur, bona erunt morali bonitate: ſi verò ab eo, qui mentis non eſt compos, perpetrentur, à deformitatis labe nullam contrahent malitiam.

* *
*

ASSERTIO III.

De Iuſtificatione.

ACtum breuiter de Peccato, quod mortiferæ ad inſtar luis humanum genus inuadens, non minus iræ Diuinæ, quàm ſempiternis pœnis illud obnoxium reddit. Cogitandum in præſentia de antidoto, quo lethale virus tolli, atque ab animæ domicilio quamlongiſſimè fugari poſſit. Quotquot huiuſmodi pharmaco curati ad optatam redeunt valetudinem, iuſti dicuntur. Horum frequentia, atque honorifica apud ſacrorum voluminum Scriptores encomia, excitare debent ad meliorem frugem illos, qui miſerando peccati veterno oppreſſi, ingloriam putant hominum ſortem, quos neglectis fluxorum gaudiorum illecebris, ad perpetuæ immortalitatis trophæa totis viribus aſpirare cernunt. Sed cùm non ſit propoſiti huius cum illis certare, qui occultis tantùm ſtudijs peccato fauent: ad eos me conuerto, qui ſuſcepto publicè ſcelerum patrocinio, iuſtificationem, vnicũ ægrotantis animi remedium, pertinacibus errorum venenis corrumpere ſtudent. Neque ſingulas de materia hac Nouatorum hæreſes examinare conſtitui; ſed eas duntaxat quibus vel iuſtitiam ipſam omnino negant, vel eius cauſas, pulcherrimum ſcilicet virtutum omnium ſeminarium, deſtruunt. Caluinus, quò inutilem prorſus humanæ ſaluti Iuſtificationem reddat, docet

eá

eâ non tolli, ſed tegi ſolùm peccata. Erroris huius probationem ſequentibus Pſalmi 31. verbis ſtabilire conatur: *Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata*. Quaſi iniquitatum remiſſio non explicaret quid intelligi debeat per *peccata tecta*. Quòd ſi difficultas vlla remaneat, videatur D. Auguſtinus in laudatum Pſalmum: hic rem totam ex iuſto & æquo definiet. Ego interea tolli peccata non vno, ſed pluribus, iiſq. clariſſimis ſacræ Scripturæ teſtimonijs oſtendam. Ioan. 1. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Act. 3. *Pœnitemini, & conuertimini, vt deleantur peccata veſtra.* Heb. 9. *Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata.* Nũquid non expreſsè 1. Io. 2. habetur? *Qui emundat nos ab omni peccato*; vbi de Chriſti ſanguiguine ſermo eſt. Hæc adeo perſpicua, atque dilucida ſunt, vt mirari ſatis nequeam illorum hominum dementiam, qui tam clarã lucem auerſantur. Faxit Deus, ne fraudes Nouatorum, quas mentita Scripturæ authoritate tegere hactenus cõtenderunt, fallere quemquam in poſterum valeant: nunquam enim Scripturæ, ſed hæreſi militarunt Sectarij; illam quippe non minus, quàm cetera Orthodoxæ Religionis fundamenta reijciunt, dum tempus poſtulat, & res; vt manifeſtè in præſenti negotio patet: vbi ſpretis tot claris Scripturæ teſtimonijs, quæ fauent veritati, vnum Pſalmi 31. verbum ad hæreſim ſuam defendendam adulterato ſenſu detorquent. Egregios certè diuinorum Oraculorum miniſtros, fidoſque ſacrorum voluminum Interpretes! Sed pergo. Aſſerunt præterea Aduerſarij, nullam in ho-

mine iuſtitiam eſſe, quæ ipſius animam iuſtam faciat, ſed tantùm imputari illi externam iuſtitiam Chriſti. Hæc Caluini doctrina adeo falſa eſt, vt ab ipſomet authore libro de ratione reformandæ Eccleſiæ deſtruatur, his verbis: *Nunquam reconciliamur Deo, quin ſimul donemur inhærente iuſtitia*. Verùm mea parui intereſt, quid neget, aut aſſerat Caluinus, cuius authoritatem nolo plus momenti habere in roborandis, quàm in euertendis Fidei dogmatibus. Videndum quæ ſententia fuerit D. Pauli, qui ad Eph. 4. ſic ſcribit: *Renouamini ſpiritu mentis veſtræ, & induite nouum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt in iuſtitia, & ſanctitate virtutis*. & 1. Corinth. 3. *Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos*. Notandum inſuper illud Pſalmi 50. *Aſperges me hyſſopo, & mundabor: lauabis me, & ſuper niuem dealbabor*. & ibid. *Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis*. Mundari, lauari, cor rectum, non tectum, poſtulat Regius Propheta. quod ille petijt, hoc per Chriſti gratiam collatum fidelibus, teſtatur Apoſtolus 1. Corinth. 6. *Hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis*. & Eph. 1. *Elegit nos, vt eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu eius*. Quibus corruit, ni fallor, impium illud Nouatorum dogma, hominem ſcilicet nunquam eſſe, aut dici poſſe iuſtum; ſed ſolùm per iuſtificationem cenſeri iuſtum in Chriſto, cùm re vera maneat peccator, & iniuſtus. Hoc confirmare nituntur illo ad Rom. 5. *Per vnius obedientiam iuſti conſtituuntur multi*; nihil tamen euincunt, niſi quod nos ſponte fatemur: Chriſtum iuſtitiæ

noſtræ cauſam eſſe. Quid inde? per Dei potentiam homo conditus eſt, an propterea non habebit entitatem à Deo diſtinctam? Eamdem vim habet in præſenti controuerſia quod afferunt ex 1.Corinth.1. *Chriſtus factus eſt nobis à Deo ſapientia, iuſtitia, & redemptio*; Neque ibi aliud oſtendere conatur Apoſtolus; quàm quod Dauid non vno loco, cùm Deum vocat fortitudinem ſuam, patientiam, ſalutem, & illuminationem; quorum omnium author eſt. Iam omiſſa Scriptura, quæro à peritis hiſce Philoſophiæ Theologis, quibus in Scholis didicerint, peccatũ, quod nihil eſt præterquam Diuinæ gratiæ priuatio, manere in homine, ac iuſtitia Chriſti tegi: ac ſi quis diceret, adueniente die remanere noctem radijs ſolaribus tectam. Sed errores hi leues ſunt, ſi cum ſequenti conferantur: quo tam Lutheri, quàm Caluini aſſeclæ, iunctis copijs Orbi perſuadere contendunt, Iuſtitiam ſola Fide acquiri. Graue profectò, atque latum virtutum omnium exterminium hæc ſecum trahit ſententia; cui ne me temerè ſubſcribere cogant aduerſarij, ad tritum illud ipſorum axioma confugio, quòd nihil ad ſalutem neceſſarium recipiendum ſit abſque Scripturæ teſtimonio. Quod dum minimè reperiret Lutherus, facinus planè audax, & palmarum, niſi id innumerabilium aliorum ſcelerum minuiſſet conſortium, aggreſſus, falcem in Diuinam meſſem immittere non erubuit. nam vbi in epiſtola ad Romanos, cap. 3. Apoſtolus Fidem operibus Legis præfert, illàque Iuſtitiam acquiri docet; egregius diuini Verbi falſarius vocem *Solum* de ſuo addi-

Digitized by Google

dit. neque tam impiæ temeritatis accuſatus aliud reſpondit, quàm: *Sic volo, ſic iubeo, ſit pro ratione voluntas*. Huncne Fidei Doctorem paſſa es Germania? & tu Gallia Caluinum eiuſdem criminis ſocium ferre potuiſti? Mirum profectò nullum eſt, ſi vitia altas egerunt radices in ijs regionibus, in quibus huiuſmodi dogmata locum obtinent. Nam ſi iuſtus eſſe poteſt homo per ſolam Fidem, qua quis ſibi certo perſuadet ſe iuſtum eſſe, & per Chriſtum ſibi remiſſa eſſe peccata, vt docent Nouatores; peſſimus quiſque hanc Fidem habere, atque adeo iuſtus eſſe poteſt. Inſigne ſalutis compendium, in quo Lutherus, & Caluinus, in quo vtriuſque ſequaces conueniunt. Faceſſant clamoſæ de Religione diſputationes: immenſa Theologiæ oracula ſileant. Sola Iuſtitia certam ſalutem facit; quicquid autem hanc moratur, non modò vt ſuperfluum, ſed vt noxium quoque amouendum eſt. Hìc contra Sectarios, iam pro veritate Catholica dicendum: Fidem quidem neceſſariam omnino eſſe ad iuſtitiam, tãquam reliquarum virtutum baſim & fundamentum; admittere tamen, imò & requirere aliorum ſocietatem; Spei nempe. nam *qui ſperat in Domino, ſaluabitur*, Prou. 28. Charitatis, 1. Ioan. 3. *Qui non diligit, manet in morte*. Timoris, Eccleſiaſt. 1. *Qui ſine timore eſt, non poterit iuſtificari*. Pœnitentiæ, Act. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrũ*. Conuerſionis, ibid. cap. 3. *Pœnitemini, & conuertimini, vt deleantur peccata veſtra*. Et ſi Apoſtolo credimus, non modò non ſufficit ad Iuſtitiam ſola Fides, ſed nec prodeſt quicquam, niſi

Chari-

Charitate fulciatur. ad Galat. 5. *In Christo Ieſu neque Circumciſio aliquid valet, neque Præputium; ſed Fides, quæ per Charitatem operatur.* Hinc patet quàm ineptè D. Paulum hæreſis ſuæ authorem fingant Nouatores. Quòd ſi nudis Scripturæ verbis, nulla veri ſenſus habita ratione, agendum cum Sectarijs eſſet; probarem clarè, timorem ſine Fide ad Iuſtitiam ſufficere. Eccleſ. 1. *Timor Domini expellit peccatum*: expulſo autem peccato homo iuſtus remanet. Atque idem de Charitate, ex Lucæ 7. deduco: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Verùm ne pugnare inter ſe Scripturæ teſtimonia harum rerum imperitus exiſtimet, animaduertere ſedulo debet, Chriſto, Prophetis, & Apoſtolis cum hominibus negotium fuiſſe: horum quia varij morbi, varijs curandi erant remedijs: qui ſola Fidei penuria laborabant, Fide potiſſimum inſtrui debebant: qui Charitate deſtituebantur, ad eam amplexandam erant animandi. & ſic de ceteris. Præſtantiſſima hæc virtutum pharmaca Diuini verbi authoritate roborata, atque in hominum commoda pro cuiuſque neceſſitate diſpenſata, ita corrumpunt Nouatores, vt quiſquis ex illorum poculis ea bibit, lethale virus pro medicina hauriat. nec mirum; nullum enim nectar tam ſuaue, aut ſalubre reperitur, quod aliquibus animantibus mortem aliquando non afferat. Quare, vt ad propoſitum redeam, dementia mera videtur, velle ex vna aliqua Scripturæ ſententia, ita Diuinæ voluntatis arcana comprobare, vt reliquis eiuſdem veritatis ſcriptis nulla authoritas relinquatur. Supereſt, vt ea Scripturæ loca ex-

Digitized by Google

plicem, quibus fallacias ſuas in præſenti controuerſia fulcire ſtudent Sectarij. Occurritque in primis illud Lucæ 8. *Crede tantum, & ſalua erit*. Qui negabit verba hæc non clarè pro aduerſarijs facere, iniquior videbitur ijs, qui hiſtoriam Euangelicam ignorant. è contrario autem, qui eamdem callent, impiam hæreſis deteſtabuntur impudentiam. Nam Chriſtus ibi non de ſalute æterna, ſed de mortuâ puella ad vitam reuocanda agit. Quod autem Apoſtolus ſcribit ad Rom. 3. *Arbitramur hominem iuſtificari per Fidem ſine operibus Legis.* & Eph. 2. *Saluati eſtis per Fidem, non ex operibus Legis*; non excludit ea opera, quæ Fidem comitantur, aut ſequuntur; ſed ea tantùm, quæ illam præcedunt: nam vidimus ſuperiùs, quid idem de Charitate docuerit. Vult ergo D. Paulus nec legem Moſaicam, nec opera Gentilium ſine Chriſti Fide ad ſalutem prodeſſe. Hoc Catholica Eccleſia ad hæc vſque tempora ſemper tenuit, tenebitque conſtanter. Eſt quoque locus Act. 13. *In hoc omnis qui credit, iuſtificatur*. & ad Rom. 10. *Omnis, qui credit in illum, non confundetur*. Qua ratione hæc intelligi debeant, ex 3. ad Romanos diſcimus: *An Iudæorum Deus tantum, nonne & gentium? imò & gentium: quia vnus eſt Deus, qui iuſtificat Circumciſionem ex Fide, & Præputium per Fidem*. & Act. 10. *In veritate comperi, quia non eſt perſonarum acceptor Deus: ſed in omni gente qui timet eum, & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi*. Quod ſuperius de Fide, hìc de timore dicitur: vtrobique autem Scriptura docet, non eſſe perſonarum acceptorem Deum.

ASSER-

ASSERTIO IV.

De Fide.

QVamuis Fidei mentionem ſuperiore Aſſertione fecerim, quia tamen nonnullæ hæreſes circa eam ſuperſunt eneruandæ, minimè ab re fore exiſtimaui, peculiarem hanc diſſertationem ex profeſſo inſtituere: qua cadent, vt ſpero, Nouatorum infida de Fide dogmata, & redibit in ipſorum capita, quod Veritati minantur exitium. Sed priuſquam vlterius progrediar, aſſignanda videtur illa Fidei diuiſio, cuius ſe authores eſſe tantopere gloriantur Sectarij: vnam nempe Hiſtoricã, Miraculorum aliam, ac tertiam denique Promiſſionum conſtituunt; aſſeruntque homines non modò ſola Fide, ſed ſola hac vltima iuſtitiam acquirere. Egregium commentum, atque ad hæc vſque tempora inauditum! Maiores certè nobis ab Apoſtolis didicerunt, vnam Fidem eſſe nobis à Deo infuſam, qua ea omnia credimus, quæ reuelata ſunt; ſiue illa de rebus geſtis fuerint, ſiue de miraculis, ſiue de futuris promiſſionibus: alioquin tot Fidei genera, atque nomina eſſent excogitanda, quot ſunt obiecta, circa quæ Fides verſatur. Nolo tricis immorari, aut nouam hanc Fidei diuiſionem acrius impugnare: nam ſi vocum tantùm nouitatem affectarent Sectarij, non autem Religionis, facilè inter nos conueniret. Verùm cùm de rebus, iiſque grauiſſimis, quæſtio ſit; non poſſum cauſæ, Religio-

niſque,

niſque, quam profiteor, æquitati deeſſe. Oſtendo itaque ipſam illam Fidem, quam Nouatores miraculorum vocant, non minus ad hominum iuſtitiam, & ſalutem facere, quàm aliud quoduis Fidei membrum. Marc. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur: in nomine meo Dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit.* Idem de Fide, quam hiſtoricam appellant, euincitur ex 1. Corinth. 15. *Notum facio vobis Euangelium, per quod ſaluamini, quoniam Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris, & quia ſepultus eſt, & quia reſurrexit tertia die.* Quibus corruit, ni fallor, cum reliquis hæreticæ prauitatis dogmatibus noua hæc de triplici Fide doctrina. Iam verò quòd ſola promiſſionum Fides non ſufficiat ad ſalutem, illa omnia argumenta probant, quæ docent nullam Fidem, ſolam, iuſtum facere. Hiſce addi poteſt inſigne D. Pauli teſtimonium, 1. Corinth. 13. vbi Apoſtolus toto capite intentum noſtrum corroborat, atque inter cetera, ait: *Si habuero omnem Fidem, ita vt montes transferam, Charitatem autem non habuero, nihil ſum.* Vltima tandem capitis verba ſunt, *Nunc autem manent tria hæc, Fides, Spes, Charitas; maior autem horum Charitas.* Noli te ipſum decipere quiſquis hæc legis: perpende Scripturæ verba, atque diſce, non ſolam Fidem ad hominum ſalutem ſufficere. Ne quæſo plus Luthero, aut Caluino aſſerentibus, quàm neganti D. Paulo authoritatis tribuas. Tua ſalus agitur, quam ſi tam fragili anchoræ commiſeris, vt tota à Fide

ſola,

Digitized by Google

ſola,imò ab vnico Fidei ramulo cum Nouatoribus pendeat, ridebunt in interitu tuo Catholicæ veritatis magiſtri Apoſtoli; quorum doctrinam, vel hoc ſolo titulo Lutheri, & Caluini ineptijs præferre debes, quòd dum Orbis cum Chriſto iudices venient, ſententiam procul dubio contra omnia impietatis dogmata ferent pro ea veritate, quam ſermone, ſcriptis, atque ipſa ſanguinis profuſione in Eccleſia Dei ſtabiliuerunt. Nec contenti Nouatores ſolam Fidem, tanquam facilem, & compendioſam ad Cælos viam, ſuis aſſeclis propoſuiſſe, addunt quoque Caluiniani firmiſſimum pro eodem itinere præſidium; Fidem nimirum ſemel acquiſitam amitti non poſſe. Hæc ſi tam vera eſſent, quàm videntur ſpecioſa, ſatius longè, atque conſultius haberetur Caluinum ſequi, quàm Prophetas, aut Apoſtolos; imò quàm Chriſtum ipſum. Torquete, detorquete, inuertite Scripturæ teſtimonia, infelices hæreſum Doctores: nunquam probabitis, mortales in præſenti vita de ſalute ſecuros fore. Nam licèt aliquis iuſtitiæ propriæ moralem aliquam haberet notitiam, de perſeuerantia omnino incertus erit, vt diſertè Scriptura teſtatur. *Neſcit homo vtrum odio, an amore dignus ſit; ſed omnia in futurum ſeruantur incerta*. Quid aliud nobis Chriſtus in Euangelio, quàm vigilias, orationes, & ſolicitudinem commendat? D. Petrus, cuius Fides non modò encomium, ſed præmium inſuper maximum à Deo meruit, homines docuit quid de propria conſtantia promittere ſibi poſſunt. Et D. Paulus, vas illud electionis, quamuis nihil ſibi conſcius eſſet, tamen in hoc non

fuit

Digitized by Google

fuit iuſtificatus: qui ad Rom. 11. *Tu autem Fide ſtas: noli altum ſapere, ſed time*. & Philip. 2. *Cum metu, & tremore ſalutem veſtram operamini*. Hiſce, quæ non minus clara, quàm certa ſunt, opponunt aduerſarij illud Iacobi 1. *Poſtulet autem in Fide nihil hæſitans*; & Matth. 11. *Quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis*. Ex quibus inferunt, Perſeuerantiæ donum nulli à Deo in fide idipſum petenti negatum iri: & ſic certos eſſe poſſe mortales de ſalute æterna. Ego verò ex hac Nouatorum aſſertione clarè deduco, aut ipſos Fidem non habere, aut malè laudata Scripturæ teſtimonia interpretari. Nam cùm plurimi anni ſint, quibus minas cæleſtes, Diuinam vindictam, atque omnimodam euerſionem, tam in priuatis, quàm publicis ſuis congreſſibus, Catholicæ Eccleſiæ denuncient; hæc interea in plurimis vtriuſque Indiæ Prouincijs ſe dilatauerit; fatendum erit alterutrum ex illis, quæ ſuperius aſſerui. Verùm vt de Eccleſia ſileam, cõtra quam Infernus non præualebit: an feliciorem exitum cõtra Turcam communem Chriſtiani nominis hoſtem, Nouatorum orationes habuerunt? illius certè Imperium, dum hi exterminium ei optarent, plus æquo in Hungaria, alijſque Europæ Prouincijs dilatatum vidimus: & niſi immenſæ Othomanorum vires ſtrenuis Catholicorum Principum armis fuiſſent compreſſæ, iam longè, latèque per Chriſtianum Orbem Mahumetana impietas dominaretur. Hi porrò fructus ſunt orationum, quas nihil in Fide hæſitantes fundunt Sectarij. Quare ad allata Scripturæ loca reſpondeo, cum magna fide orandum

dum, vt Chriſtus, & Apoſtolus præcipiunt: ad ea tamen, quæ orantes à Deo petimus, duo eſſe neceſſaria: vnum, vt bonæ atque vtiles ſint poſtulationes noſtræ: alterum, vt conſtantes vſque ad extremum vitæ ſpiritum. Iam verò quòd bona vtiliſque ſit æterna ſalus, nemo dubitat; reſtat tantum, vt eam conſtanter, ac ſine intermiſſione flagitemus, ſecundùm illud ad Heb. 3. *Participes Chriſti effecti ſumus, ſi tamen initium ſubſtantiæ eius vſque ad finem firmum retineamus*. Hoc quia nullus ſe certo facturum promittere ſibi poteſt, nullus de Dono Perſeuerantiæ in hac vita ſecurus erit.

ASSERTIO V.

De Sacramentis.

HVmanæ fragilitatis probè conſcia Diuina Bonitas, cùm cerneret nihil in corrupta mortalium natura reperiri, quo eorum mentes ad amiſſæ Beatitudinis poſſeſſionem reduci poſſent; cæleſti planè munificentia, eaque, quæ vniuerſi rectorem decuit, prouidentia, non duces modò, & præcepta viuendi, ſed commeatum præterea liberali manu ſuppeditauit; ne tædio, aut vlla alia neceſſitate confecti, à recto ſalutis tramite proſequendo deſiſteremus. Quorum exempla, doctrinamque in Religionis negocio ſequi debeamus, libro primo dictum eſt. De Commeatu in præſenti agendum; ex quo omnis ſexus, ætatis, & conditionis homines partem aliquã deſumere ſibi poſſunt.

Catho-

Catholicæ Eccleſiæ Sacramēta, Chriſtiani militis commeatus rectè dicuntur: quibus anima vires, & robur haurit ad ea omnia magna alacritate ſubeunda, quæ in longo difficilique itinere conſtitutis euenire ſolent. Eſt porrò *Sacramentum Eccleſiæ* (nam apud profanos Scriptores longè diſpari ſenſu profertur) *res ſenſibus noſtris ſubiecta, quæ ex diuina inſtitutione vim habet ſignificandi, atque efficiendi internam gratiam, quæ per merita Chriſti confertur.* Definitio hæc, licèt aliqua verborum diſcrepantia aliquando naſcatur, ab omnibus Catholicis communi aſſenſu recipitur. Nouatores ſuos hæreſiarchas ſequuti, ab Orthodoxa veritate hìc, vt alias ſæpe, diſſentiunt. Lutherus dicit, ſacramentum eſſe promiſſionem ſigno externo annexam. Quæ definitio, & manca eſt, cùm non explicet cuius rei Sacramentum ſit, promiſſio; & falſa. Nam Baptiſmus, quem pro Sacramento admittit Lutherus, non eſt promiſſio, licèt hæc illum ſequatur. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit ſaluus erit.* Philippus verò Lutheri diſcipulus ait, Sacramentum eſſe ritum, qui habet mandatum Dei, & cui addita eſt promiſſio gratiæ. Gratia verò, de qua hìc agit Philippus, eſt gratuita peccatorum remiſſio, non interior gratia ſanctum hominem faciens. Vt Lutherus Baptiſmum, ita Philippus Euchariſtiam ſua definitione excludit, quam tamen hìc pro altero Sacramentorum agnoſcit. Euchariſtia enim non modò non remittit peccata, ſed eum, qui peccato grauatus hanc ſumit, Maieſtatis diuinæ reum facit. *Probet autem ſemetipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat.*

Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit, 1. Corinth. 11. Vt Philippus Lutheri, ita Herbrandus Philippi definitionem euertit. Caluinus interim omnium Lutheranorum ſententijs ſe opponit. Verùm ne in nudis definitionibus tempus teram, pro quibus magna inter ſe cõtentione digladiantur Sectarij; venio ad earum rerum examen, quibus Sacramenta perficiuntur. Hæ ſunt verba Sacerdotis, vel eius vices obeuntis; & materia, cuius in ſacramento vſus eſt: quæ pro Sacramentorum diuerſitate varia eſſe ſolet. Nam Baptiſmus perficitur ablutione, & verbo baptizantis; Confirmatio manus impoſitione, & oratione; Euchariſtia pane, vino, & verbis conſecrationis; Extrema Vnctio vnctione, & oratione; Pœnitentia contritione, confeſſione, abſolutione, & ſatisfactione; Ordo impoſitione manuum, & verbo Epiſcopi; Matrimonium traditione corporum, & mutuo conſenſu. Neque ſolùm perficiuntur Sacramenta, vt dixi, verbis, & rebus; verùm etiam ijſdem eſſentialiter, & tanquam materia & forma, vt cum Schola loquar, conſtituuntur, vna dempta Euchariſtia; quæ verbis quidem Sacerdotis perficitur, conſtituitur tamen Corpore, & Sanguine Chriſti. Nouatores, qui aliquid noui ſemper afferunt, in ſacramento Baptiſmi duplex verbum requirunt, vnum baptizantis: *Ego te baptizo*, aliud Concionale, vt vocant, quo Miniſter explicat Dei promiſſionem: In Euchariſtia pro verbis conſecrationis volunt verbum inſtructionis, Caluiniani. Hoc, ſi quoquo modo fuiſſet neceſſarium, Apoſtolis non minus,

quàm

quàm illud Chriſtus tradidiſſet. De Authore, ſiue vt Scholaſtici loquuntur, cauſa efficiente Sacramentorum nulla eſt quæſtio, cùm omnes fateantur, Deum, qui ſolus vim ſignificandi, atque efficiendi gratiam dare illis poteſt, præcipuum Sacramentorum authorem eſſe; cuius delegatus eſt Chriſtus ſecundùm naturam humanam. Hic nempè Diuinæ voluntatis in Sacramentorum inſtitutione fuit interpres, atque illa, quibus Sacramenta perficiuntur, reliquit; tandemque proprijs ſuis meritis vim conferendi gratiam iuſtificantem Sacramentis obtinuit. Ex quibus facilè colligi poteſt, quo ſenſu in Concilio Tridentino Chriſtus ſecundùm humanam naturã Sacramenta inſtituiſſe dicatur. Hæc de efficiente; reſtat vt aliquid de cauſa finali Sacramentorum attingam. Varia ſunt, atque præclara munera, quibus virtute Sacramentorum frui poſſunt mortales. Hæc enim in primis à Deo inſtituta ſunt, vt hominibus gratiam, quam Sanctificãtem appellant, conferant; vt deinde eoſdem doceant, qua ratione Deum colere, & ſibi propitium reddere valeant; tum denique vt in ſe excitent ardentem, conſtantemque Fidei Chriſtianæ profeſſionem. Addi poteſt & alius Sacramentorum finis: vt nimirum mortales, qui ſenſibilium rerum amore decepti à Deo receſſerunt, ad eundem per res ſenſibiles reducantur. Nouatorum porrò ferè communis eſt opinio, Sacramenta ideo à Deo potiſſimum fuiſſe inſtituta, vt excitarent in hominibus Fidem. Hoc quàm falſum, ac ineptum cenſendum ſit, Chriſtus ipſe oſtendit. Matth. 28. *Docete omnes gentes, baptizantes*

eos

Digitized by Google

eos, &c. &, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit.* Vbi Fides ſacramento Baptiſmatis, quod omnium primum eſt, clarè præmittitur. Nonne præterea Act. 8. Enuchus ait: *Ecce aqua: quis prohibet me baptizari? Dixit autem Philippus, ſi credis ex toto corde, licet.* atque ibidem: *Cùm credidiſſent Philippo euangelizanti de Regno Dei, baptizabantur viri, & mulieres.*

ASSERTIO VI.

De numero Sacramentorum.

MArtinus Lutherus, qui primus claſſicum impietati hac noſtra ætate in Germania cecinit, ita de hæreſi in hæreſim lapſus eſt, vt in libro de captiuitate Babylonica omnia omnino Sacramenta negauerit præter vnum Baptiſmum; cui Sacramenti definitio ab ipſo aſſignata minimè quadrat, vt paulò ante oſtendi. Lutheranæ impietatis profeſſores fermè omnes Baptiſmum, Euchariſtiam, & Pœnitentiam pro Sacramentis agnoſcunt; Philippus, & Kemnitius Baptiſmum, & Euchariſtiam tantum; Zuinglius prædictis duobus Matrimonium adiungit; Caluinus excluſo Matrimonio Ordinem cum Baptiſmo, & Euchariſtia ponit. Tot denique inter Nouatores ſenſus ſunt, quot capita. In medium iam prodeant inſignes illi Diuinæ voluntatis interpretes: ſuas inter ſe conferant ſententias, reddantque perplexis mortalibus rationem, cui tandem doctrinæ fidem habere debeant! Ex eodem

ouo prognati omnes, ſacrorum Voluminum patrocinium, Chriſtianæ Religionis tutelam, & reformationem ſuſcepiſſe ſe iactant, ipſo Spiritu ſancto authore, cui illorum ſinguli, ſi aſſerentibus fas eſt credere, magis ſunt familiares, quàm amicorum amiciſſimo. Proh pudor! Ita ne vobis imponi ſinitis mortales? hos Duces, ac Magiſtros ſequimini? Vna omnium vox eſt, Eccleſiam Catholicam errare, ſoli diuino Verbo in Religionis negotio credendum; ſuas interea nugas vnuſquiſque pro veris tutatur. Ex ſacra Scriptura nec vllum determinatum Sacramentorum numerum, nec ipſum Sacramenti nomen vnquam probabunt: neque vlla alia Fidei norma illis remanet, qui à Traditionibus recedunt, Eccleſiam damnant, decreta Conciliorum non admittunt, Patrum denique noſtrorum ſcita inſigni petulantia reijciunt. Egonè confuſa & perplexa Lutheri, Caluini, ceterorumque audiam deliramenta, dum miſeros mortales illis Fidei dogmatibus imbuunt, de quibus ita inter ſe hactenus pugnarunt, vt nihil certum, aut concors vnquam ſtabilire potuerint? Quare ad Eccleſiam Catholicam me confero, in qua Chriſtum ipſum, atque veritatis ſpiritum regnare, fida ſacrorum Voluminum authoritate didici. Hìc ſeptem Sacramenta à Chriſto inſtituta, atque ab Apoſtolis in vniuerſo mundo prædicata inuenio. Et licèt in ſacra Scriptura nec ſeptenarium hunc numerum, nec ipſum Sacramenti nomen clarè deſcriptum habeamus; nolo tamen ex alio, quàm puro diuini Verbi fonte ſingulorum Sacramentorum doctrinā haurire. Nobis enim

non

non hæreſis profeſſoribus, diuina Oracula mit... quicquid ipſi in contrarium apud ignarum vulgus mentiantur.

Ieſus Chriſtus, qui pro omnium ſalute in mundum hunc venit, nolens vllam hominum conditionem cœleſtis gratiæ remanere expertem, Baptiſmum præcepit, Matth. 28. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Hæc illa ſacræ militiæ teſſera eſt, ſine qua fruſtra Deo placere ſtuderent mortales, fruſtra ad cæleſtem Patriam aſpirarent. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt intrare in Regnum Dei*, Ioan. 3. Poſt Baptiſmum, qui homines æternæ Beatitudinis capaces facit, Confirmatio in Eccleſia confertur. Hac promiſſus à Chriſto Spiritus ſanctus ſpeciali Diuinæ gratiæ influentia in fideles deſcendit. Act. 8. *Cùm autem audiſſent Apoſtoli, qui erant Hieroſolymis, quòd recepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum, & Ioannem: qui cùm veniſſent, orauerunt pro ipſis, vt acciperent Spiritum ſanctum; nondum enim in quemquam illorum venerat, ſed baptizati tantum erant in nomine Domini Ieſu. Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum.* Vbi adamuſſim Eccleſiæ doctrina de Confirmatione exprimitur. nam præter manuum impoſitionem, & orationem, neceſſarium eſt Præſulis, ſeu Epiſcopi in hoc Sacramento miniſterium: neque enim Samaritani ab ijſdem confirmabantur, à quibus ſacro Baptiſmi fonte abluti erant; vt ex allato Scripturæ loco patet. Sacroſanctam Euchariſtiam è Sacramento-

F 2 rum

.. albo expungere vnus auſus eſt Lutherus. verùm Catholica Eccleſia nullum Sacramentum, aut maiore religione, aut cultu auguſtiore, quàm Euchariſtiam veneratur. & meritò. Clara enim Chriſti verba ſunt in omnibus Euangelijs, quid, & quantum hoc myſterium ſit, diſertè teſtantia. Tanta porrò eſt Diuini huius Sacrificij puritas, tanta cibi, qui proponitur, dignitas; vt ſeuero hinc edicto arceantur, quicunque criminis alicuius labe aſperſi reperiuntur, 1. Corinth. 11. ex quo noua Diuinæ clementiæ ſeges exoritur: nam cùm pauci ſint, qui in prima per Baptiſmum collata innocentia perſeuerant, Chriſtus, vt omnium ſaluti abundè conſultum foret, Pœnitentiæ Sacramentum propoſuit, quo grauatis peccatorum mole iteratus ad Deum pateret acceſſus. Pœnitentia, cuius crebra in ſacris Litteris fit mentio, Contritionē, Confeſſionem, & Abſolutionem includit. Superuacaneum eſſet ea Scripturæ loca afferre, quibus Contritio ſeu dolor de offenſo per peccata Deo præcipitur. A Confeſſione impudenter reſiliunt Nouatores: ſed eadem opera D. Iacobum Apoſtolum erroris damnant, cuius verba ſunt: *Confitemini alterutrum peccata veſtra*. De abſolutione nihil credunt, quamuis Chriſtus Matth. 18. ligandi, atque ſoluendi poteſtatem Apoſtolis conceſſerit. Prædicta hæc quatuor Sacramenta ab omnibus ſuo loco, & tempore ſuſcipi poſſunt: Ordo verò, & Matrimonium, ad peculiare vitæ inſtitutum homines obligant. Ordo, quo quis totus in Diuinum obſequium tranſit, euaditque rerum ſacrarum adminiſter, non poteſt non à Noua-

toribus

toribus reijci, qui ſine vlla legitima vocatione Dei Miniſtri haberi volunt. Eccleſia Sacramenti huius idæam veram, vt ea omittam, quæ in Euangelijs traduntur, ex 1. ad Timoth. 4. deſumit: *Noli negligere gratiam, quæ eſt in te, quæ data eſt tibi per prophetiam, cum impoſitione manuum presbyterij.* &, *Admoneo te, vt reſuſcites gratiam Dei, quæ in te eſt per impoſitionem manuum mearum.* Matrimonium, quicquid apud Iudæos fuerit, iure merito inter nouæ Legis Sacramenta numeratur: per id enim gratia confertur coniugatis, vt ſine macula, ac cum puritate liberos procreent, viuant ſtabili inter ſe nexu coniuncti. *Honorabile coniugium in omnibus, & thorus immaculatus.* Heb. 12. & ad Eph. 5. fusè de matrimonio agit, id Chriſto, & Eccleſiæ comparans. Venio tandem ad Extremam Vnctionem, qua migraturis ex præſenti vita Chriſtianis gratia confertur. *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo in nomine Domini; & oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus; & ſi in peccatis fuerit, dimittentur ei,* Iacobi 5. Hæc Scripturæ teſtimonia non alio fine adduxi, quàm vt Nouatores pudeat, Eccleſiam Dei nouitatis in Sacramentis adminiſtrandis accuſare. Ego certè totus recreor, dum non modò diuina Oracula, ſed omnem præterea antiquitatem idem de Sacramentis tenuiſſe video, quod Catholica tenet & profitetur Eccleſia. Quia verò mihi negocium eſſe ſcio cum illis, qui nudo Dei verbo certare volunt, illo contentus in præſenti controuerſia, cetera omittam.

ASSERTIO VII.

De Euchariſtia.

NVlla ætas, ab ipſo naſcentis Chriſtianæ Religionis exordio ad præſentem vſque diem, numerari poteſt, in qua aliqui non reperiantur, qui dignitati Euchariſtiæ ſacramenti longè auguſtiſſimi detrahere, eiuſdemque maieſtatem erroris labe aſpergere ſtuduerint. Horum omnium dux ac coriphæus Iudas ille Iſcariotes, apoſtatæ non minus, quàm proditoris nota infamis, abſque controuerſia fuiſſe cognoſcitur, ex Ioan. 6. nam hic audita concione de eſu carnis Chriſti, cum reliquis, dixit: *Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire? abierunt etiam multi retrorſum, & iam non cum Chriſto ambulabant.* Et ne dubio relinqueretur locus, quis potiſſimum ſeditionis huius author eſſet, additur: *Sciebat enim ab initio Ieſus, qui eſſent non credentes, & quis traditurus eſſet eum.* & ſub finem capitis: *Nonne ego vos duodecim elegi, & ex vobis vnus diabolus eſt? dicebat autem Iudam Simonis Iſcariotem.* Poſſunt itaque, nec ſine ratione, hæreſim ſuam de Euchariſtia ad Apoſtolorũ tempora reuocare Nouatores. Videant interim, ne qui Iudæ obſtinatam contra Redemptoris doctrinam ſequuntur rebellionem, eiuſdem cum eo criminis, pœnæq. participes euadant. Nos certè D. Petrum, vt Eccleſiæ Catholicæ Principem, ita veræ Fidei Magiſtrum, audiemus, verbo & exemplo clamantem:

Domi-

Digitized by Google

Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes; & nos credidimus, & cognouimus quia tu es Chriſtus Filius Dei. Atque hinc eſt, quòd Eccleſia Romana ſuper petram ædificata, totis ſemper viribus propugnauerit veritatem de eſu reali carnis Chriſti in Euchariſtia: de qua nemo ſanæ mentis dubitare poteſt, niſi qui ſimul dubitet an Chriſtus potentiam habeat carnem ſuam in Euchariſtia præbendi. Hanc qui negat, non iam hæreſis, ſed Maieſtatis diuinæ reus eſt, atque ex Chriſtianorum albo expungendus. Supereſt ergo, vt diligenti examine perquiramus, quæ fuerit Chriſti voluntas in venerandi huius Sacramenti inſtitutione. Redeamus ad ſextum caput Euangelij D. Ioannis, & verba attente perpendamus. *Hic eſt panis de Cælo deſcendens*, &c. *Ego ſum panis viuus*, &c. *Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. Litigabant ergo Iudæi ad inuicem, dicentes: quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* Tu Domine, qui in mundum hunc pro ſalute humani generis veniſti, & qui proprium ſanguinem ad mortales redimendos profundere decreuiſti, vides vt tua hæc verba Scribas, Phariſæos, reliquumque populum ad lites & rixas concitant. Compatere infirmis, ac verum ſermonis huius ſenſum aperi: nullus hic figuris oratorijs, nullus parabolis locus. Litigant Iudæi, titubant diſcipuli: diſcute ambiguitatis nebulas: prodeat de labijs tuis ſimplex claraque veritas, ne tot animæ, quæ ſponte te ſequutæ ſunt, pereant. Quid ad hæc Chriſtus? *Amen, amen dico vobis; niſi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non*

Digitized by Google

habebitis vitam in vobis. Litigent Iudæi, recedant diſcipuli, ac totus pereat Mundus, priuſquam ex Chriſti ore vel leuis error prodeat. Noluit doctrinæ ſuæ vero genuinoque ſenſui quicquam detrahere Dei Filius, vbi de tot hominum ſalute agebatur: & reperietur vllus poſt eum tam audax, qui Diuina decreta infringere tentet? Quod D. Ioanne teſte Dominus promiſit, id ceteri Euangeliſtæ datum ſcribunt. Matth. 26. *Accipite, & comedite: hoc eſt Corpus meum.* & paulò poſt: *Bibite ex hoc omnes. Hic eſt enim Sanguis meus noui Teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Fidelis Dominus in verbis ſuis, quibus auditis corruunt metaphoræ Zuinglij, vna cum Caluini ambagibus. Furor profectò, furor eſt, ſubnixam tam ſolida authoritate veritatem falſis errorum tenebris conari inuoluere. Addam D. Pauli teſtimonium, cui tanquam cæleſtium arcanorum participi, fidem minimè negare debent Chriſtiani. hic 1. Corinth. 10. ſcribit: *Panis quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini eſt?* & capite ſequenti: *Quicunque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit Corporis, & Sanguinis Domini*. Quò fugitis Nouatores? ad Scripturas, de quibus quaſi vobis fauerent, falsò gloriamini? Si Apoſtolis, ſi Euangeliorum Scriptoribus, ſi Chriſto ipſi fidem habetis, nullum fallacijs veſtris effugium patet. Non de ſanctorum Patrum opinione, non de Traditionibus, non de communi Eccleſiæ doctrina hìc agitur; de Scripturæ verbis quæſtio eſt. Chriſtus corpus, & ſanguinem ſuum mortalibus promiſit, Ioan. 6. hoc

Apoſto-

Apoſtolis tradidit, Matth. 26. neque in Cælum redux eum promiſſi, aut doni ſui pœnituit, 1. Cor. 10. & 11.

Lutherus quamuis omnem mouerit lapidem, vt Euchariſtiæ cultum minueret, nunquam tamen negauit veram realemque Chriſti præſentiam, quem *in, cum, & ſub pane, & vino reperiri in Altari poſt prolata à Sacerdote conſecrationis verba*, docuit. Plurimum interim tam ipſi, quàm eius ſequacibus, laborandum fuit, in ratione, qua id fieri potuit, aſſignanda. Quidam enim aſſerunt, Chriſtum pani præſentem eſſe per Vbiquitatem. Hoc adeo abſurdum videtur, vt nulla egeat confutatione: nam cũ Chriſti humanitas, vel pleriſque illorum fatentibus, vbiquitatem non habuerit priuſquam in Cælum aſcenderet, ſequitur, Chriſtum in prima Euchariſtię inſtitutione non fuiſſe in pane per Vbiquitatem. Si verò de Vbiquitate Diuinitatis ſententiam ſuam explicant, nihil iam noui, aut magni in Euchariſtia ponunt: cùm certum, atque in confeſſo ſit, Chriſtum ea ratione in omni cibo, potu, veſte, ligno, ſaxo, cunctiſque rebus, quæ mundi huius ambitu continentur, præſentem eſſe. Aſſignat Lutherus alium modum præſentiæ, per vnionem quandam hypoſtaticæ ſimilem: qui licèt obſcurior paulò imperitis, ac propterea eruditior videri poſſit, non eſt tamen minus ineptus, quàm prior fuerit. Quænam enim vnio hypoſtatica illa eſſet inter Corpus Chriſti, & panem; inter vinum, & Sanguinem? Num alia in Chriſto perſona, ſeu hypoſtaſis inuenitur, quàm diuina? Cùm ergo vnio illa, quam fingit Lutherus non ſit in perſona Verbi, non erit

erit hypoſtatica. Recentiores Lutheranæ Scholæ diſcipuli non aliam aſſignant Chriſti pręſentiam in Euchariſtia, quàm eam, quæ fit per ſimplicem coniunctionem. Quorum ſi vera eſſet opinio, corrueret planè omnis veborum vis, *Hoc eſt Corpus meum*; neque vnquam in proprio ſenſu verum foret, quod iſti aſſerunt: panem ſcilicet eſſe Carnem, & vinum propriè eſſe Sanguinem. Alioquin Chriſtus propriè fuiſſet oſtium, aut paries, per quem ianuis clauſis ad diſcipulos intrauit; atque lapis ſepulchri, dum per eum, vt verior fert ſententia, ex monumento reſurrexit.

Verſante in maximis laberinthis circa Euchariſtiam Luthero, eius diſcipulus Carolſtadius, quo perplexarum diſputationum anſam omnem tolleret, veram Chriſti præſentiam in Euchariſtia negauit. Nimiam Carolſtadij temeritatem comprimendam ratus Huldericus Zuinglius, nouam impoſturam excogitauit: nempe verba, *Hoc eſt Corpus meum*, intelligenda eſſe, *hoc ſignificat Corpus meum*.. Caluinus tandem, vt tutiſſimus in hæreſi eſſet, medius inter Lutherum, & Zuinglium incedere decreuit, illum plus æquo hunc minus Euchariſtiæ deferre aſſerens. Cuius ſententiæ ſumma eſt, *Chriſti Corpus verè & realiter exhiberi, & ſumi in Cœna Dominica*, quam cum Euchariſtia confundunt huius farinæ Nouatores, *nuſquam tamen id, niſi in Cælo aut eſſe, aut reperiri*. Atque vt hæc duo ſibi inuicem repugnantia, Corpus ſcilicet Chriſti verè ab hominibus manducari in terra exiſtentibus; idemq. re ipſa in terra non eſſe, probabilia vtcunque reddat;

docet

docet, mortales fide realiter manducare Corpus Chriſti, quod in Cælo re ipſa permanet. Errat itaque Lutherus dum ait, Chriſti Corpus re ipſa in Sacramento eſſe; & Zuinglius dum id negat: ſolus ab errore immunis erit Caluinus, cuius opinione nulla ineptior excogitari poteſt? Quis enim vel mente aſſequetur, Corpus Chriſti re vera in Euchariſtia non eſſe, in eadem tamen manducari verè, & realiter? Re ipſa, inquis, fide manducatur. At hoc eſt re ipſa non manducari: cùm Fides nec os habeat, nec dentes, nec vlla alia membra, quibus re ipſa manducare animalia conſueuerunt. Non video, cur diutius nugis hiſce immorandum mihi ſit: ſufficit enim cuiuis veri rectique ſtudioſo aduerſariorum deliria indicaſſe. cognitus error neminē vnquam prudentem decepit. Id quod Eccleſiæ ſuæ in Euchariſtia promiſit Chriſtus, quod dedit, quod reliquit, in dubium reuocandum non eſt, propter futiles infeſicium apoſtatarum nugas: quos innata contra veritatem rabies, & extrema de propria ſalute deſperatio, ad peſſima quæque excogitanda, audendaque impellit. Verba itaque Redemptoris vero ac proprio ſenſu intelligenda ſunt. Nec refert quòd metaphoris aliquando Scriptura vtatur: vtitur etiam parabolis, ironia, alijſque figuris, pro loci, temporis, & auditorum conditione. Parcior tamen huiuſmodi loquutionum vſus eſt, nec vnquam in Diuinis præceptis, aut Fidei dogmatibus deſcribendis conſuetus. Inter quæ primariam ſedem obtinent Eccleſiæ Sacramenta. Hæc enim vt ſalubria animarum peccato laborantium remedia, natiuis, cognitiſque

gnitiſque

gnitiſque nominibus, non fucatis coloribus erant delineanda. Sed quia concionem Chriſti, atque adeo totam materiam de Euchariſtia à tropis oratorijs liberam eſſe, facili ſatis, credibilique argumento ſuperius oſtendi: finem hìc præſentis controuerſiæ faciam, ſi tamen prius curioſæ quorundam hominum modeſtiæ veritatis facem prætulero, quæ omnes de Sacramento Euchariſtiæ tenebras à dubia mente depellat. Nimia etenim, ac ſupra humani intellectus captum hæc Chriſti bonitas nonnullis videtur, qui carnem ſuam, perpetuum diuinæ Maieſtatis habitaculum, à vilibus terræ incolis, imò à perfidis ſæpe, ſceleratiſque peccatoribus contrectari, manducarique patitur. Magnum, fateor, & immenſum Diuinæ benignitatis exemplar in Euchariſtia relucet: ſed maiora longè ſunt, quæ pro humani generis redemptione fecit, ac pertulit Dei Filius. Carnem noſtram aſſumpſit: anguſtis Virginei vteri ſpacijs concluſus nouem menſibus iacuit: inter bouem, & aſinum in Præſepio recubuit: algorem brumæ, æſtatis calores, omnes denique temporum iniurias, contumelias hominum, verbera, vincula, crucem, atque acerbiſſimam tandem necem pertulit. Hæc qui credit, de illo non ambigat. Qui de poteſtate Chriſti eſt ſolicitus, cogitet Deum eſſe: qui de voluntate, verba toties in Scripturis repetita conſideret: fatebiturque, quòd nulla gens *habeat deos* ſuos *appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt nobis*.

ASSER-

ASSERTIO VIII.

De Prædeſtinatione.

SVperuacanea prorſus, atque inutilia forent, quæ hactenus in Religionis cauſa, pro veritate ſtabilienda attuli, quæque deinceps allaturus ſum, niſi aliquid de Prædeſtinatione dixero. Quam ita impiè deſcribit Caluinus, vt Deum iniuſtitiæ, & mendacij accuſare, homines verò ad Numinis contemptum, & ſalutis æternæ negligentiam excitare quaſi ex profeſſo videatur. Quod ne gratis, aut maleuolè à me dictum quis putet, ipſius verba ſubiungam, lib. 3. Inſtit. cap. 21. *Prædeſtinationem vocamus æternum Dei decretum, quo apud ſe conſtitutum habuit, quid de vnoquoque homine fieri vellet. Non enim pari conditione creantur omnes, ſed alijs vita æterna, alijs damnatio æterna præordinatur. Itaque prout in alterutrum finem quiſque conditus eſt, ita vel ad vitam, vel ad mortem prædeſtinatum dicimus.* Quæ ne in ſaniorem partem ab vllo accipiantur, cap. 22. habet. *Vbicunque verò hoc regnat Dei placitum, nulla in conſiderationem veniunt opera.* Plurima hiſce haud abſimilia in eo libro reperiuntur, quæ breuitatis gratia prætereo. Multa ſunt, quæ de quæſtione hac dici poſſent, ſi ſingula Doctorum placita eſſent inueſtiganda. Ego paucis rem abſoluam; atque nudo veritatis gladio multiplicis hydræ cor petam, ne

in cer-

in ceruicibus reſcindendis tempus mihi, ac victoria elabatur. Illud in primis certum, atque extra controuerſiam eſt, neminem alia ratione de Dei operibus, & decretis æternis iudicare poſſe, quàm qua ipſe in libris voluntatis ſuæ indicibus iudicandum docet. Sacræ profectò Litteræ clarè teſtantur, hominem ob id à Deo creatum, vt vitam haberet æternam. Geneſ. 7. *Creauit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam.* & Sap. 2. *Deus creauit hominem inexterminabilem.* Neque mortem meruit vllo Dei decreto, ſed præceptum eius violando, vt patet ex Geneſ. 2. *De ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas.* Additur mandato pœna. *In quacunque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Hinc optimè Sap. 1. *Deus mortem non fecit.* quod fuſiùs explicat Apoſtolus ad Rom. 5. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors.* Scriptura ergo in humanæ damnationis cauſis aſſignandis toto cælo à Caluino diſcrepat. Peto vlteriùs à decreti huius propugnatoribus, num illud in damnandis, ſaluandiſue hominibus ad Chriſti merita reſpiciat? Si negant, quid mundo profuit mors Chriſti, quid Fides, aut Religio? Si aſſerunt, vt omnino aſſerendum eſt, iam falſum eſt, Prædeſtinationem in ſimplici decreto fundari. Eſt præterea aliud, quod ab iiſdem ſcire percupio, an nimirum decretum, de quo agimus, Fidem hominum inuoluat, nec ne? Si inuoluit, omnem decreti Caluiniani vim diruit. Sin minus, mentiuntur ſplendidè, dum aiunt, Fidem iuſtificare.

O quan-

O quantò facilius ſe, ſuoſque damnaſſent Nouatores, ſi alijs omnibus de Religione omiſſis controuerſijs, de ſolo decreto æterno Dei fuiſſent ſoliciti! hoc ſi hominibus ex mente Caluini perſuaſiſſent, non modò de Eccleſia Romana, verique Numinis cultu actum fuiſſet; ſed de Regnis, Prouincijs, Rebuſpublicis, Diuino, Humanoque Iure, atque de omni humanæ ſocietatis vinculo triumphaſſet hæreſis. Stabilita enim decreti illius neceſſitate quid aliud ſequitur, quàm cœcus quidam furor in hominum mentibus ab omni ratione alienus? cui compeſcendo fruſtra proponeretur aut ſpes præmij, aut ſupplicij terror. Verùm enimuero tantum Deus abeſt à decreti illius rigore, quo homines ad æternos cruciatus damnari mentiuntur Nouatores, vt clarum ſit illum omnium deſiderare ſalutem. Timoth. 2. *Deus omnes homines vult ſaluos fieri*. 2. Petr. 3. *Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti*. Ezech. 18. *Nolo mortem morientis, dicit Dominus*. Quamuis hæc perſpicua ſint, non deſunt aduerſarijs tela, quibus allatam veritatem oppugnent, ex ipſo Canonicæ Scripturæ armamentario deprompta: ſed ea talia eſſe ſcimus, quæ nunquam veritati officere potuerunt. D. Paulus, inquiunt, ad Rom. 9 docet electionem Iacob, & reprobationem Eſau ex ſimplici Dei decreto manaſſe: *Non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei, quia maior ſeruiet minori*. Hìc de temporali benedictione ſermo eſt: ſed eſto de ſalute intelligatur æterna, nihil propterea in

Caluini

Caluini cauſa probabit. Nam gemelli illi ex eadem quidem humanæ naturæ maſſa, ſed originali labe corrupta, producti erant. Quicquid ergo vni tribuitur præ altero, cùm vtrique pœna infernalis ob peccatum iam decreta eſſet, ad Diuinæ benignitatis immenſitatem extollendam, non ad Caluinianam prædeſtinationem arguendam ſpectare cenſendum eſt. Illa quoque eiuſdem capitis, *Non eſt volentis, neque currentis, ſed Dei miſerentis*; &, *Ergo cuius vult miſeretur, & quem vult indurat*; an aliud euincunt, quàm hominem originalis peccati mole oppreſſum, haud poſſe aſpirare ſine potente adiuuantis Dei auxilio ad gratiam; hæc vero ſi vni parciùs, alteri copioſiùs tribuatur, neminem iure conqueri poſſe; vt ibidem ſubiungit Apoſtolus: *An non habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa facere aliud vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Lutum certè, niſi ſedulo periti alicuius artificis labore in vſus humanos perpoliatur, ſemper humile, ſemper abiectum à viliſſimis quibuſque animantibus impunè calcabitur. Cuius ſi pars aliqua regale poculum, alia olla ruſtici fiat; vt illa figuli laudes, ita hæc abiectam naturæ propriæ conditionem teſtabitur. Atque vel hinc facilè colligere licet, quid de victoria ſperare poſſint aduerſarij, qui huiuſmodi armis certant: neque quidquam vnquam ex Scriptura afferent pro decreto illo ſimplici Dei, quod nulla hominum peccata aut opera ſequitur: cuncta enim diuini Verbi placita non

modò

modò Adæ lapſum, ſed cetera quoque mortalium peccata reſpiciunt, quæ Deo non minus nota ſunt prius quàm fiant, quàm nobis poſtea quàm facta ſunt. Quare ſi de bonorum electione, quæ Prædeſtinatio dicitur, & de impiorum, ſeu præſcitorum reprobatione, ſano & catholico ſenſu, ex ijs, quæ Deus voluntatis ſuæ Oraculis patefecit, diſcurrere voluerimus; inueniemus illam Chriſti merita in omnibus, in adultis hominibus præterea opera inuoluere: ad quæ Deus efficacem gratiam ex mero ſuo beneplacito confert: hanc verò peccatum originale in cunctis, actuale quoque in multis cauſam habere. Ad quæ delenda nulli penitus auxilium ſufficiens negat Deus: cuius bonitas tanta eſt, vt ex corrupto humanæ naturæ luto, quod totum peccato, atque ideo æternæ morti ſubiacet, hos potentioribus, illos minus potentibus, omnes ſufficientibus gratiæ donis cumulet. Verùm vt Lectorem à falſis Nouatorum ineptijs ad purum veritatis fontem deducam, Chriſti ipſius doctrina perpendenda eſt, cuius in humanæ prædeſtinationis, & reprobationis cauſa tradenda clarior habetur ſententia, quàm vt ab vllo reijci poſſit. Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* & 23. *Quoties volui congregare filios tuos, ſicut gallina congregat pullos ſuos ſub alas; & noluiſti!* & cap. 25. vbi non alterius, ſed propriam gerens perſonam Dominus, iudicij à ſe habendi formam explicat. *Venite benedicti Patris mei;* &, *Ite maledicti in ignem æternum.* Si prioris ſententiæ rationem petis: *Eſuriui enim, & dediſtis mihi manduca-*

re: *ſitiui, & dediſtis mihi bibere: nudus fui, & operuiſtis me, &c.* ſi poſterioris: *Eſuriui enim. & non dediſtis mihi manducare*, & quæ ſequuntur. Caluinum poſt hæc audiat quiſquis volet. ego tutior multo ad iudicium properabo, ſi iudicem ipſum ſequar docentem, & Apoſtolum eius, dum monet, vt per bona opera certam noſtram vocationem faciamus.

**
*

GEOR-

Digitized by Google

GEORGII CONÆI ASSERTIONVM CATHOLICARVM LIBER TERTIVS.

De ijs Fidei capitibus, quæ à Nouatoribus omnino negantur.

ASSERTIO PRIMA.

De Præceptorum Decalogi obſeruatione.

NVlla natio adeo barbara, aut tam impia ſecta vnquam fuit, quæ ſupremos Diuino Numini honores, licèt diſpari ſæpe cultu illos procurauerit, negandos cenſuit. Longum nimis eſſet ſingulos ſingularum gentium ritus circa res ſacras commemorare, in quibus immenſus quidem errorum Oceanus apparet: omnium tamen vna, & concors ſententia eſt, maximum Numini honorem tribuendum eſſe. Huic natura ipſa, huic ratio omnis aſſentitur; vt nemini mirum eſſe debeat, non inueniri peculiaria de Diuino cultu mandata tot ſæculis, quæ Moyſen præceſſerunt. Quid enim præcepto opus erat homini, qui originis ſuæ authorem agnoſcebat Deum, vt eundem totis ani-

Digitized by Google

mi corporiſque viribus coleret? Abel certè, & Cain, hic de frugibus, ille de grege ſacrificium Deo obtulerunt, nullius Legis vigore, ſed inſita quadam humanæ menti erga Conditorem ſuum gratitudine. Idem ſæculis pluribus mortales alij fecerunt: donec ætate prouectum humanum genus, non tam annis ab Adamo, quàm animis à Dei notitia remotum, de illis omnibus hallucinari cœpit, quæ debitum Numinis cultum in hominum pectoribus generare ſolent. Hinc Saturni, Ioues, Bacchi, Martes, Mercurij, Apollines, & mille huiuſmodi per ſummum nefas & ſacrilegium, in veri Dei locum aſſumpti, Templis, Delubris, Aris, Lucis, omnique Religionis apparatu à miſeris mortalibus donati fuerunt. Horum nimirum celebrata ob res præclarè geſtas memoria, argumenta quædam Diuinitatis erant apud eos, quibus ſiue temporum iniuria, ſiue propria negligentia, veri Numinis cultus, & notitia omnis exciderat. Iacturam hanc longè maximam ille, qui ſolus id poterat, reſarciuit Deus, tradita per Moyſen, quam in Geneſi habemus, de rerum origine hiſtoria: quæ cùm ad hominum mores diutina ſcelerum contagione infectos reformandos non ſufficeret, latæ præterea non minus de ciuili vita, quàm de cultu Diuino Leges, magnis cùm in præſenti, tum in futuro ſæculo ſupplicijs armatæ: quarum rigorem Lex gratiæ, ab ipſomet Dei Filio Chriſto propoſita, mitigauit. Hic enim ea omnia circa cæremonias, ſacrificia, & externum Religionis cultum abrogauit, quæ mera aduentus ſui nuncia, & nuda futuræ veritatis ſi-

gna erant. Verùm vbi de illorum Præceptorum obſeruatione, quæ Decalogo continentur, quæſtio fuit, audi quid dicat: *Non veni ſoluere Legem, ſed adimplere*. Inſigni hæc Chriſti ergà paternas Leges reuerentia, magni, vt ſpero, ponderis erit apud animum æqui iuſtique ſtudioſum, ad impiam Nouatorum temeritatem explodendam: qui auſu planè inaudito ſuadere conantur populo Chriſtiano, ſacroſancta Decalogi Præcepta talia eſſe, vt à nemine mortalium obſeruari poſſint. Addunt præterea ſceleri ſcelus: Iuſtum ſcilicet ad eadem obſeruanda non teneri. O hæreticam planè audaciam! maiorem ſibi authoritatem in Diuinæ voluntatis decreta Lutherus aliquis, aut Caluinus, vilia mortalium capita, arrogabunt, quàm ipſa Patris æterni Sapientia Chriſtus? nec mirum: hic nempe nõ aliam ob cauſam in mundum venit, quàm vt proſtratum negligentia hominum veri Numinis cultum reſtauraret. *Non enim veni facere voluntatem meam; ſed eius qui miſit me Patris*. Illi verò, quos immanium ſcelerum atrocitas ad ſalutis propriæ deſperationem compulerat, id vnum ſatagebant, vt quamplurimos in communis exitij ſocietatem pertraherent. Abſit dicto malitia: ipſa me veracem hac in parte facit experientia. Quis enim ex intimis inferorum penetralibus euocatus Lucifer tenaciorem ſaluti humanæ remoram inijcere potuit, quàm Nouatores iniecerint? Serpens profectò, vt in Geneſi legitur, dum vetiti pomi eſum primæ parenti Euæ perſuadere vellet, propoſito criminis præmio, *Eritis ſicut Dij, ſcientes bonum & malum*, atque

ſpe veniæ, *nequaquam moriemini*, non auſus eſt Præcepti diuini neglectum perſuadere. Quare nullus, vt arbitror, iure mihi ſuccenſebit, ſi illos audaciores, nequioreſque ipſo Serpente dixero; qui pari cum illo fraude, maximis quibuſque criminibus veniam ſolo Fidei obolo emendam proponunt, vt fusè ſuperiore libro oſtendi; atque æquiſſima inſuper Diuinæ voluntatis placita tam grauia, tamque iniqua eſſe volunt, vt à nullo mortalium obſeruari poſſint. Quod an verum ſit, & ſacrorum voluminum doctrinæ conſentaneum, paulo poſt videbitur. Remouendæ interea nonnullæ difficultates, quas ex Scriptura deducere ſolent, vt fucum rudioribus faciant. Eſtque in primis illud Act. 15. *Quid tentatis imponere iugum ſuper ceruices diſcipulorum, quod neque patres noſtri, neque nos portare potuimus?* Quiſquis laudatum Actorum caput perlegerit, inueniet D. Petrum de circumciſione, & cæremonijs Iudaicis, non de præceptis Decalogi agere; imò de Traditionibus Phariſæorum ſermonem eſſe minimè dubitabunt illi, qui Concilij Hieroſolymitani, & Apoſtolicæ deſciſionis originem habent perſpectam. Nam Apoſtoli verba præcedunt hæc quæ ſubiungo. *Surrexerunt quidam de hæreſi Phariſæorum, qui crediderant, dicentes: quia oportet circumcidi eos, præcipere quoque ſeruare legem Moyſis.* Omnia enim ſomnia, & hæreſes ſuas ad Moyſen referebant Phariſæi, vt ſuas ad Scripturas referunt Sectarij. Quis enim vel mēte captus, hos, aut illos recepiſſet, niſi mendacia externa veri ſpecie velaſſent? Neque ſine ratione ſe Phariſæorum Traditionibus opponit D. Petrus, quas

minimè

Digitized by Google

minimè tolerandas eſſe à veritatis Magiſtro didicerat, Matth. 23. *Alligant enim onera grauia & importabilia, & imponunt in humeros hominum: digito autem ſuo nolunt ea mouere*. Iam ad locum D. Pauli venio, in quo victoriæ ſummã collocare ſolent aduerſarij ad Galat. 3. *Quicunque ex operibus Legis ſunt, ſub maledicto ſunt. Scriptum eſt enim: Maledictus omnis, qui non permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro Legis, vt faciat ea*. Hæc ad Galatas ſcribit Apoſtolus; qui neglecta Fide, in ſola Legis obſeruatione omnem ſalutis curam ponebant, vt patet ex eiuſdem Epiſtolæ verbis. *O inſenſati Galatæ, quis vos faſcinauit non obedire veritati, ante quorum oculos Ieſus Chriſtus præſcriptus eſt, in vobis crucifixus? Hic ſolum à vobis volo diſcere; ex operibus Legis Spiritum accepiſtis, an ex auditu Fidei?* Neque Legem ibi oppugnat D. Paulus, ſed Galatarum errores, qui plus æquo in Religionis negotio operibus, Legis, Fidei, aliorumque cæleſtium donorum conſortio deſtitutis, tribuebant. Nam de Lege ipſa idem docuit, quod Catholica docet, ac profitetur Eccleſia, ad Rom. 2. *Factores Legis iuſtificabuntur*. Id verò quod ex 7. ad Rom. afferunt, *Velle quidem adiacet mihi; perficere autem bonum non inuenio*, nihil habet in præſenti controuerſia momenti. Nam ibi Apoſtolus humanæ conditionis fragilitatem, propenſamq. ad vitia naturam deplorat. Tantum porrò abeſt à præſtando hæreticorum ineptijs auxilio, vt eodem capite contrarium diſertis verbis ſcribat: ſe nimirum Diuinam Legem obſeruare potuiſſe, & re vera obſeruaſſe. *Igitur ego ipſe mente ſeruio legi Dei*.

Nam quod ſequitur, *carne autem Legi peccati*; arguit tantùm mortalium imbecillitatem, cùm ſola rationalis anima peccati capax ſit. Duo præterea loca citant aduerſarij, vnum Iacobi 3. *In multis offendimus omnes*; alterum 1. Ioan. 1. *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus*. quæ quia de quibuſlibet etiam leuiſſimis peccatis exponi poſſint, parerga videntur. Adde quòd quæſtio noſtra in eo verſatur, an homines poſſint obſeruare Legem; nõ verò, an obſeruent. Atque hæc de illis, quæ ex Scripturis pro ſe depromere conantur Nouatores. Supereſt, vt Orthodoxam veritatem veris diuinorum oraculorum teſtimonijs comprobem, quæ nihil omninò ab hominibus exigunt, niſi quod illi præſtare poſſunt. exigere autem diuinorum Præceptorum obſeruationem adeò clarum eſt, vt nulla egeat probatione. Deut. 10. *Et nunc Iſrael, quid Dominus Deus petit à te, niſi vt diligas eum in toto corde tuo, & ſerues mandata eius?* & 11. *Ama Dominum Deum tuum, & obſerua mandata eius*. Idem centies in veteri Teſtamento iniungitur. Omitto, quòd ſingula Decalogi Mandata ſingulari præcepto deſcribantur: quibus optimè ſuffragatur nouæ Legis authoritas Matth. 11. *Tollite iugum meum ſuper vos*. & 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata*. Ioan. 15. *Si præcepta mea ſeruaueritis, manebitis in dilectione mea*. Quæ non ſine aliqua iniuſtitiæ nota hominibus præciperet Deus, niſi eoſdem viribus tanto obſequio congruentibus donaſſet. Iam vt omnis longioris altercationis anſa tollatur, claris, minimeq. dubijs Scripturæ exemplis euinco, Do-

minicam

minicam Legem adamuſſim à quibuſdam completam fuiſſe: quo impia aduerſariorum aſſertio, quòd nempe Lex à nullo obſeruari poſſit, ab imis fundamentis conuellitur. *Non fuiſti ſicut ſeruus meus Dauid, qui custodiuit mandata mea, & ſecutus eſt me in toto corde ſuo*, 3. Reg. 14. & Ioan. 17. *Tui erant, & mihi eos dediſti; & ſermonem tuum ſeruauerunt*. Nec gloriam hanc ſoli Prophetæ, & Apoſtoli ſunt aſſecuti: eiuſdem inſuper particeps fuit adoleſcens quidam, cuius nec nomen in Euangelio exprimitur. hic diuina Mandata recenſenti Chriſto reſpondit intrepidè: *Omnia hæc cuſtodiui à iuuentute mea, quid adhuc mihi deeſt?* Matth. 19. quæ non ex inani iactantia, ſed pro veritate ab adoleſcente dicta fuiſſe, tacitus Saluatoris aſſenſus, tum blanda ad vitæ perfectioris ſtudium adhortatio, manifeſtè probat: *Si vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in Cælis, & ſequere me*. Addam quæ de Zacharia, & Eliſabetha D. Ioannis Baptiſtæ parentibus habentur Lucæ 1. *Erant ambo iuſti ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & iuſtificationibus Domini ſine querela*. Hoc non ſolum id, quod modò aſſerui, confirmat; ſed alterum præterea Nouatorum dogma, Iuſtum non teneri Legem obſeruare, omninò deſtruit. Nam Euangeliſta præfatos coniuges, & iuſtos vocat. & rationem, qua iuſti erant, egregiè reddit: quia nimirum ante Deum incederent in omnibus mandatis, & iuſtificationibus Domini. Contra quæ fruſtra nobis Scripturam obijciunt aduerſarij; nullum enim mendacio patrocinium præſtare veritas poteſt. Nam

illud,

-A.322A

illud, quod ex Galat. 3. depromere ſolent, *Chriſtus nos redemit de maledicto Legis*, quid ad rem? maledictum Legis erat contra eius tranſgreſſores, à quo nos iure meritò liberaſſe Chriſtus dicitur, qui Fide, & Gratia, potentibus ad Legem commodè obſeruandam auxilijs, humanæ imbecillitati opitulatur. Quod autem ex 1. Timoth. 2. *Iuſto non eſt Lex poſita, ſed iniuſtis, & non ſubditis impijs, & peccatoribus*; an aliud probat, quàm tritum illud, Ex malis moribus bonas naſci Leges? Deus certè non prius Legem tradidit tabulis lapideis inciſam, niſi poſtea quàm ex hominũ pectoribus omnem Religionis, ac probè viuendi curam eradicatam vidit. Tum enim neceſſarium omnino Diuinæ prouidentiæ viſum eſt, rebelles mortalium voluntates ſalubri Legum frœno comprimere: vt regulam haberent iuſti, ad quam ſuas dirigerent actiones, & vt improbis aſſidui adeſſent iudices, quorum latis ſententijs iuſta de patratis ſceleribus ſumeretur vindicta. Atque hinc eſt, quòd in Scholis doceant Theologi, Apoſtolum, dum iuſto non eſſe poſitam Legem aſſerit, de Lege coactiua, non de directiua agere, de qua ſuperius dixerat: *Scimus autem quia bona eſt Lex, ſi quis ea benè vtatur*. Ex quibus manifeſtè patet, noluiſſe D. Paulum iuſtos à Legis obſeruatione, ſed à pœna Legem violantibus debita liberare. Sciebat enim homines ſedulo erga Diuina Mandata obſequio iuſtitiam acquirere; vt in eo, quod ad Rom. 2. ſuperius attuli, conſtat: *Factores Legis iuſtificabuntur*.

ASSER-

ASSERTIO II.

De Votis Monaſticis.

DEI cultus in eo potiſſimum ſitus eſt, vt ſumma reuerentia, & obſequium illi exhibeatur, à quo res omnes originem, & naturæ ſuæ conſeruationem, animalia vitam, homines inſuper rationis, cæleſtis illius doni, vſum recipiunt. Vt porrò accepta ſint Numini mortalium in ipſo colendo ſtudia, inſtituendi primùm in rebus Diuinis, tum eorundem mores ad Præceptorum Dei normam efformandi. Neque omnis cultus ponendus eſt in humanæ mentis coniunctione cum Deo; nam præter hanc neceſſaria omnino eſt exterior internæ virtutis, & latentis Religionis comprobatio. Hæc quanto fuerit nobilior, præſtantiorque, tanto nobilius, præſtantiuſque erga Diuinam Maieſtatem obſequium teſtabitur. Quia verò commodis hominum, non malis, delectatur Deus, grauibus, ſeueriſq. Legibus prohibuit vſitata apud quaſdam barbaras gentes in falſorum Deorum honorem homicidia, & carnificinas: nobis enim vitæ vſus conceſſus eſt, non dominium. Hoc ſibi vni reſeruato, illo mortales ad tempus donauit naturæ author: quem ſi heroica animi gratitudine ipſi reddiderimus, nil ſupereſt, quàm vt æterna beatæ immortalitatis præmia alacres, ſecurique expectemus. Vſum certè vitæ ſibi adimit, ac Deo ſacrat quiſquis tenacia vincula cupiditatibus proprijs ſponte inijcit.

Digitized by Google

inijcit; ita carnis delectamenta coërcet, vt à licita etiam copula abſtineat; ita ſuperflua deuitat, vt neceſſaria quoque deteſtetur; ita denique immoderatos fluctuantis animi motus comprimit, vt ad alienum nutum viuat, tanquam ſi voluntatem propriam non haberet. Solemnem hanc ab ipſa tum naſcenti Chriſtiana Religione cõſuetudinem, primus ætate noſtra impugnauit Martinus Lutherus, quò infamem ſuam à vita Religioſa defectionem excuſaret. Idem Caluinus, idem Zuinglius, idem ceteri Nouatores fecere. Si impietatis huius rationem quæres, reſpondent, nefas eſſe, Deo alium cultum exhibere, niſi quem ipſe in ſacris Litteris præcipit. O inſignes reparatæ Religionis miniſtros! qui vt cuncta penitus Diuinæ voluntatis placita effugiant, aſſerũt, ea quæ Deus peculiari mandato imperat, obſeruari non poſſe; (quem errorem præcedenti aſſertione expunximus) ea vero, quæ non imperat, nec bona eſſe, nec Numini grata. Hoc ſi verum eſſet, toties nobis Scriptura imponeret, quoties præclaras ſanctorũ hominum virtutes commemorat, quæ vbique laudantur, nullibi pręcipiuntur. Celebria Heroum geſta non modò exempla, ſed præcepta quoque viuendi poſteris eſſe debent. Serui eſt, non ingenui, mera tantum heri mandata exequi. Quis, rogo, imperauit Mariæ Magdalenæ quod Ioan. 12. refertur: *Maria ergo accepit libram vnguenti nardi piſtici pretioſi, & vnxit pedes Ieſu, & exterſit pedes eius capillis ſuis?* Oppugnatum hoc opus bonum fatetur Euangeliſta. Sed contra impiam Iudæ actionem nõ deeſt amplum Chriſti patrocinium. Zachæus,

qui

qui nullius præcepti vigore, ſed Deo hoſpiti placendi ſtudio, venditum medium bonorũ ſuorum dedit pauperibus, certam ſalutis ſpem, ac ſingulare fidelitatis encomium promeruit. Quicquid ergo ad Numinis gloriam, vtilitatem proximi, noſtramque felicitatem conducit, quamuis nulla Lege præcipiatur, id ab hominibus tutò ſummaque cum laude fieri poteſt. Præcepta Diuina, ſiue illa communia ſint, ſiue peculiaria, annexam habent obſequij neceſſitatem: quæ non ſunt præcepta, copioſius cæleſtis gratiæ præmium ſpondent. D. Paulus, cui Deus Euangelium prædicandi munus iniunxerat, amplum propoſitæ veritatis præbebit teſtimonium. 1. Corinth. 9. *Nam ſi euangelizauero, non eſt mihi gloria: neceſſitas enim mihi incumbit: væ enim mihi eſt, ſi non euangelizauero*. & paucis interiectis. *Quæ eſt ergo merces mea? vt Euangelium prædicans ſine ſumptu ponam Euangelium*. Ad hoc nullo pręcepto aſtrictus erat Apoſtolus, vt ipſemet ibidem oſtendit. *Neſcitis quoniam qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt, edunt: & qui Altari deſeruiunt, cum Altari participant? Ita & Dominus ordinauit ijs, qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere*. Communi hoc Miniſtrorum Euangelij, atque ab ipſo Chriſto celebrato priuilegio dum vti nollet Paulus, inſignem ſibi immortalis gloriæ coronam promeruit. Quam aſſiduè ob oculos ponere debent illi, qui ſacratioris vitæ ſtudio allecti, conceſſa mortalibus commoda, & oblectamenta negligunt. Nam quamuis Monaſticæ vitæ puritatem obſcœnis latratibus inſectentur Nouatores, nemini vnquam Euan-

gelicæ doctrinę perito fucum facient, aut perſuadebunt, bonum, ac Numini gratum non eſſe diuitias ſpernere, caſtitatem colere, ac propriæ renunciare voluntati. Quamuis enim nullum de huiuſmodi re præceptum ſit, quod omnes homines obſtringat, habemus nihilominus prudens Chriſti conſilium: cui non minus quàm præcepto obſequi tenentur, qui in religioſæ perfectionis ſtadio currere decreuerunt. Matth. 19. *Si vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, & habebis theſaurum in Cælo, & veni ſequere me.* Offer columbam accipitri, & inuolabit; leporem cani, & inſequetur; crepundia puero, & accurret: ſola hærebit, aut dubitabit fœlicitatis æternæ capax anima, opimas cæleſtis patriæ gazas vltro proponentem Chriſtum ſequi, propter inanes Apoſtatæ Lutheri, vel Caluini nugas? *Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum; centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* Nihil hìc præcipit Chriſtus, ſed maxima pro paruis promittit: bonæ ergo, Deoque gratæ ſine dubio illæ virtutes cenſebuntur, quas tam ampla præmiorum copia, ipſo Deo teſte, comitabitur. Apoſtoli, qui nullius Præcepti neceſſitate, ſed ſua ſponte vocantem Chriſtum ſequuti ſunt, ſingulari dignitatis prærogatiua donabuntur: *Sedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim Tribus Iſrael.* Neque longiore diſputatione in re clara opus eſt. In confeſſo enim apud Lectorem eſſe ſpero, licere homini ſumma cum laude, & commodo Numen alijs pietatis officijs demereri, quàm ijs,

quæ

Digitized by Google

quæ expreſſo mandato imperantur. Tranſeo iam ad Votorum ſolemnia, quæ vt iniqua atque impia damnare ſolent aduerſarij, quorum dementiam ipſa naturæ Lex, vota approbantis, arguit. De rebus igitur votiuis, non de Votis ipſis quæſtio eſſe poterit. Quare videndum breuiter reſtat, an religioſi res Numini acceptas offerant, quando perpetuam ſibi ipſis Deo inſeruiendi neceſſitatem imponunt. *Domini eſt terra, & plenitudo eius: orbis terrarum, & vniuerſi, qui habitant in eo:* cuius immenſæ liberalitatis munus eſt, non autem debitum humanæ naturæ tributũ, quicquid mortalium obſequio paret. *Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius: oues, & boues, vniuerſa inſuper pecora campi.* Nihil ergo Deo deuouere poſſunt homines, quo aut ipſe egeat, aut ob doni præſtantiam delectetur. Quì igitur fieri potuit, inquies, vt animalia, fruges, & ceteros terræ fructus, latis de ſacrificijs Legibus ab Iſraëlitico populo exigeret? exegit quidem ea omnia, non tamen vt aliena, aut digna ſe munera, ſed vt qualiacunque rationalis animæ immenſa Conditoris ſui beneficia profitentis argumenta. Hinc Sacrificij excellentia non tam ex oblatæ rei valore, quàm ex offerentis pietate eſt ſpectanda. Quæro iam, per Deum immortalem, quid demum in hac rerum vniuerſitate reperiri poſſit, vel per ſe dignius, vel magis acceptum Numini, voluntariæ, conſtantique humanarum operationum, ipſiusque hominis oblatione? in cuius ſolius gratiam cetera, quæ vaſto Mundi ambitu comprehenduntur, Deo placere ſolent. Inſolita fortaſſis, ac nondum in vſu apud maiores

res noſtros poſita huiuſmodi ſacrificia exclamabit Nouator aliquis. Fœlix profectò, atque proprijs ſuis meritis omni veterum ſæculorum gloriæ illa ætas præferenda eſſet, quæ nobilem hanc Deo litandi conſuetudinem excogitaſſet: cuius benè cultæ ſaltem laudem vtinam noſtra obtineat, quam ſacrilegorum dogmatum contagione infamem apud omnem poſteritatem reddere conati ſunt Nouatores. Verum enimuerò tam præclaræ virtutis origo Deo ipſi, non humanæ induſtriæ, aut fugacibus annorum periodis debebatur. vt patet ex Num. 6. vbi Deus peculiaribus Legibus voto ſibi ſacros obſtringit. *Vir ſiue mulier, cùm fecerint votum vt ſanctificentur, & ſe voluerint Domino conſecrare: à vino, & omni, quod inebriare poteſt, abſtinebunt*. Sequitur deinceps reliqua victus ratio; mox de veſtitu, *Sanctus erit creſcente cæſarie capitis eius*. Prohibentur deinde illæ curæ, & ſolicitudines, ad quas ceteri mortales ex debito naturæ & charitati officio tenentur. *Omni tempore conſecrationis ſuæ ſuper mortuum non ingredietur, nec ſuper patris quidem, & matris, & fratris, ſororiſque funere contaminabitur, quia conſecratio Dei ſui ſuper caput eius eſt*. Quid ad hæc impij impoſtores reſpondebunt? proferant ſolitas contra Sacrum Monachorum inſtitutum calumnias, quæ probata à Deo Nazaræorum vota penitus, ſi vim vllam haberent, deſtruerent. Illi à Venere abſtinent, hi à vino; illi diuitijs renunciant, hi à iuſtis parentibus ſoluendis arcentur. Vtrique alieno ſubditi imperio: ſed illorum longè fœlicior eſt, quàm horum conditio, quibus Chriſtus exemplum vitæ, laborum

rum

rum leuamen,& certa virtutum præmia propoſuit,quæ nec Moyſes,nec vllus præter Dei Filium potuit promittere. Sed damnandum, inquiunt, Caſtitatis perpetuæ votum videtur, quòd illud nemo mortalium ſeruare queat. Ita tu quidem Luthere,poſtquam abiecto cucullo Burram catulientem monialem è ſacro thalamo in ſacrilegum thorum induxiſti. Alia longè erat doctrina Chriſti. Matth. 19. *Sunt Eunuchi, qui ſe ipſos caſtrauerunt propter Regnum Cælorum: qui poteſt capere,capiat.* Caſtrare autem ſe alia quàm Religioſi voti nouacula, Chriſtiano homini non licet. De quibus D.Ioan. Apocal. 14. *Hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, virgines enim ſunt: hi ſequuntur Agnum quocunque ierit.* Siccinè collapſæ Religionis reſtaurationem aggredimini Nouatores? nec pudet adeo publicum voluptati exhibere patrocinium? Pergite in malam crucem, quando optima monentes audire negligitis; pergite, inquam, quò vos nefanda hæreſis vocat; pergite quò impotens libido impellit: ſed pergite ſoli. Veſtris contenti ſceleribus parcite puris aliorum mentibus, quorum interitus veſtra augebit ſupplicia. Sed quandoquidem hi veritatem reſpuunt, vtpote qui criminum ſuorum turpitudinem, multorum contagione celare ſtudent: vos ſaltem dilectæ Deo animæ, quæ nondum mortalitatis vinculis ſolutæ,beatis immortalium priuilegijs fruimini: *Erunt ſicut Angeli Dei:* vos, qui nomina Chriſto obſtrinxiſtis publico ſacramento, ſacroſancti propoſiti, emiſſique voti memores, ſerpentinis Apoſtatarum vocibus præſentis vitæ dulcedinem, &

noxiorum delectamentorum illecebras extollentium, aures occludite. Sonent Euangelica conſilia in mentibus veſtris. *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* & *Qui non baiulat crucem ſuam, & venit poſt me, non poteſt meus eſſe diſcipulus,* Luc. 14. & paulò inferius: *Sic ergo omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Liberum aliquando vobis fuit ſacroſanctum religioſæ profeſſionis inſtitutum licitis mundi commodis poſthabere, dum nempe communibus tantùm Chriſtianæ Fidei Legibus tenebamini. verùm poſtquam cæleſte vitæ perfectioris ſtadium ingreſſi eſtis, priſtinam illam libertatem cum fœlici diſcipulorum Chriſti neceſſitate commutaſtis; ad quam inuitantur quidem omnes, ſed nullus cogitur, niſi poſt emiſſa ſolemni ritu vota. *Cùm votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus: & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Si nolueris polliceri, abſque peccato eris; quod autem ſemel egreſſum eſt de labijs tuis, obſeruabis, & facies ſicut promiſiſti Domino Deo tuo, & propria voluntate, & ore tuo locutus es.* Hæc Dominus per Prophetam ſuum Deuter. 23. Prodeat iam in publicum cum ſacrilego ſcorto Lutherus, ratamque diuino Oraculo votorum authoritatem auſo temerario oppugnet: nullos vnquam niſi ſui ſimiles in tanti ſceleris conſortium adducet; illos ſcilicet, apud quos maiori in pretio ſunt fædarum inquinamenta voluptatum, quàm metuen-

metuenda omnipotentis Dei præcepta. Perfidam horum defectionem plurima quidem, quæ in ſacris Litteris recenſentur, manifeſtè conuincunt, ſed præſertim Iephte fortiſſimi Ducis facinus, qui vt Iud. 11. legitur, voti Deo nuncupati, à quo, vt multorum fert ſententia, excuſari poterat, ita tenax fuit, vt illud vnicæ quam habebat filiæ ſaluti prætulerit. *Aperui enim os meum ad Dominum, & aliud facere non potero*. Cui filia paterni voti religione tacta reſpondit: *Pater mi ſi aperuiſti os tuum ad Dominum, fac mihi quodcunque pollicitus es*. Hìc non de titillante aliqua malè compoſiti corporis voluptate, vt apud Nouatores paſſim; ſed de viri præſtantiſſimi orbitate, ac de religioſiſſimæ virginis immaturo funere agebatur. Et erit vlla in Chriſtiano populo Virgo adeo imprudens, quæ ad impiam Lutheri, aut Caluini vocem ſe è votiuo cæleſtis Sponſi thalamo proripiet, vt impuro infamis alicuius Apoſtatæ iugo ſe ſubmittat? abſit.

ASSERTIO III.

De bonis Operibus.

QViſquis à recto veritatis tramite declinat, quò diutius incedit, eò grauius de errore in errorem prolabitur. Neceſſariam humanæ ſaluti Mandatorum Dei obſeruationem, tanquam rem deſperatam damnare conati ſunt Nouatores, vitæ perfectioris ſtudium vt ſuperfluum, & quaſi iniquum impro-

bare. Numquid fortè immenſas has oppugnatæ pietatis ruinas ſpecioſo aliquo Religionis titulo reſarcire ſtudebunt? Qui doctrinam audis, deteſtare inſaniam. Cuncta prorſus opera, quæ ſiue in ſacris, ſiue in profanis Litteris bona cenſentur, vel vt ἀδύνατα negligenda, vel vt nullius momenti reijcienda docent. O amplum impietatis compendium! cui ſi fidem haberent mortales, non modò de Religione, ſed de rebus publicis quoque, omnique humana ſocietate actum eſſet. Qui enim nulla bona opera ab hominibus fieri poſſe credit, otium labori præferat neceſſe eſt. Præcipuum impiæ huius doctrinæ fundamentum, quòd nimirum peccatum originale remaneat in omnibus, inficiatque eorum opera ſua labe, euerti ſuperius: vbi fusè docui non tegi, ſed tolli omnino peccata per gratiam. Supereſt, vt vnum aut alterum Scripturæ locum, quem pro ſe afferunt Nouatores, explicem. Prior eſt Eccleſ. 7. *Non eſt homo iuſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet*. Hinc nihil aliud deduci poteſt, quàm homines iuſtos aliquando peccare, ſecundùm illud Prouerb. 22. *Septies in die cadit iuſtus*. Eiuſdem authoritatis eſt in præſenti controuerſia locus Iſaiæ 64. *Et facti ſumus ſicut immundi omnes nos, & quaſi pannus menſtruatæ vniuerſæ iuſtitiæ noſtræ*. Nam Propheta ibi Iſraelitici populi impietatem deplorans, Deum orat, vt ſuo aduentu Mundo ſubueniat: *Vtinam dirumperes Cælos, & deſcenderes: à facie tua montes defluerent*. Quò verò Diuinæ præſentiæ neceſſitatem probet; oſtendit ipſam electam gentem ſcelerum multitudine corruptam. nec alia ra-

tione

tione veniam, gratiamque ſuis obtinere poterat Iſaias, quàm ingenua peccatorum confeſſione. Vt autem omnis dubitandi anſa tollatur, certumque apud omnes ſit, Prophetam vſitata apud Rhetores figura, qua partem pro toto ponere ſolent, vti, ſubijcit: *Non eſt qui inuocet nomen tuum*; cùm tamen ipſe nomen Domini magna conſtantique pietate tunc inuocaret. Nec contentus hac vera, & genuina verborum Scripturæ interpretatione, quàm nemo ſanæ mentis facilè reijciet; addam totidem clara pro Catholica veritate teſtimonia, quot falſa, & ambigua pro ſua hæreſi proferunt aduerſarij. Cum loco citato Eccleſiaſtici conferatur hic 1. Ioan. 3. *Omnis qui in eo manet, non peccat.* &, *Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit.* Vt autem ſcias Apoſtolum de ſe & alijs hominibus loqui, obſerua primam Capitis periodum: *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominentur, & ſimus.* Eſt præterea alius locus eiuſdem Epiſtolæ cap. 1. qui egregie teſtatur quàm vtilis fuerit ad peccata omnium delenda Chriſti aduentus, quem Iſaias tantoperè optabat, tamque facunda deprecabatur oratione. *Sanguis Ieſu Chriſti filij eius emũdat nos ab omni peccato.* & paulo poſt. *Fidelis eſt & iuſtus, vt remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Hæc ad hominem dixiſſe ſufficiat: nam ſi ea Scripturæ loca, in quibus expreſſa bonorum operum mentio fit, recenſenda eſſent, dies me deficeret. Quare inſtar omnium erit illud Matth. 12. *Bonus homo de bono theſauro profert bona.* & 26. *Opus enim bonum operata eſt in me.* Tranſeo iam ad alteram controuerſiæ

huius partem: Vtrum ſcilicet homines benè operando mereri valeant ſalutem æternam. Aduerſarij negant, nos aſſerimus. Sed prius quàm ad vlteriorem propoſitæ quæſtionis diſquiſitionem progrediar, monitum Lectorem cupio id, quod Catholica profitetur Eccleſia, totam ſcilicet humani generis redemptionem, omnemque vitæ æternæ ſpem in Chriſti Saluatoris meritis fundari; ex quibus merita hominum non modò originem, ſed valorem quoque recipiunt. Hæc autem neceſſaria ad ſalutem dicimus, non quia illa non ſufficiant, ſed vt Diuinæ ordinationis methodum ſequamur. *Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite: ſic nec vos, niſi in me manſeritis. Ego ſum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum,* Ioan. 15. Quare inſulsè, vt ſemper, Nouatores aſſerunt, meritorum Chriſti præſtantiæ detrahi quicquid humanis tribuitur. Nam palmes dum turgidos racemos producit, fructiferæ vitis, ex qua virtutem illam haurit, excellentiam prædicat. Ego certè, niſi me ratio fugit, ex Catholicorum ſententia, nullo negocio deduci poſſe exiſtimo, plurimum accedere meritis Chriſti, nihil verò deperire. Magnum quidem, & prodigio ſimile videtur, quòd Deus humana ſe carne induerit, quòd communes vitæ calamitates pertulerit, quòdque ſua morte vitam ęternam nobis demeruerit. Verùm dum homines tot naturæ, peccatique vinculis præpeditos, ad eam euectos dignitatem cerno, vt proprijs ſuis meritis de cæleſtis Regni poſſeſſione contendere poſſint: qualia, & quàm Diuina ea cen-

ſebo

ſebo merita,quorum virtute res per ſe minima, & nullius momenti, æterno, atque infinito bono æquatur! Æquari autem humanis operibus vitam æternam,tanquam mercedem, claris pluribuſque teſtimonijs Scriptura docet: *Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis*, Matth. 5. & 20. *Voca operarios, & redde illis mercedem*. & 25. *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi*. Additur tam profuſæ liberalitatis cauſa: *Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare, &c.* hæc Chriſtus. quibus egregiè conſentit D. Paulus ad Rom. 2. *Deus reddet vnicuique ſecundùm opera ſua*. 1. Corinth. 3. *Vnuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundùm ſuum laborem*. & 2. Timoth. 4. *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, Fidem ſeruaui; in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ*. Hiſce opponere paſſim aduerſarij ſolent illud Pſal. 102. *Qui coronat te in miſericordia*. & Matth. 5. *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur*. Ex quibus, iuxta Dialecticæ ſuæ fallacias, inferunt, non ex iuſtitia, ſed ex miſericordia nobis vitam æternam dari. Concluſionis huius præmiſſæ nullibi apparent: ipſa verò hæreticam teſtatur perfidiam. Nam præter ea, quæ pro mercede, & corona iuſtitiæ ſtabilienda allata ſunt, fatendum omnino eſt in omni Chriſtiana Theologia, iuſtitiam, & miſericordiam Diuinam ſolis inter ſe vocabulis diſtingui; ac propterea falsò illam negari, dum hæc aſſeritur, ad vitam æternam conducere. Quòd ſi nudis vocibus inhærere voluerint, aut ad relationum, quæ in ſcholis vſurpantur, diſtinctiones ſe conuertere;

cur tam iuſtitiæ, quàm miſericordiæ, militante quidem pro vtraque, ſed magis pro illa Scriptura, vberes fructus non agnoſcunt? Nos profectò ita pro iuſtitia pugnamus, vt tamen nihil miſericordiæ laudibus depereat, quam vt collatæ nobis gratiæ fontem, & meritorum noſtrorum parentem veneramur. Sed poſtquam homines ex mera Dei miſericordia ad ſalutem æternam merendam capaces fiunt, tum ſi benè operentur, expectare debent cum Apoſtolo *Coronam iuſtitiæ, quam reddet Dominus in illa die iuſtus iudex*. Hinc facilè patet, quid reſpondendum ſit ad illud Iſaiæ 55. *Omnes ſitientes venite ad aquas: & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite: venite, emite abſque argento, & abſque vlla commutatione vinum, & lac*. Vbi Propheta de gratia tantùm agit, quam nos, vt dixi, Diuinæ miſericordiæ filiam prædicamus. Eodem recidit, quod Apoſtolus ſcribit ad Rom. 6. *Stipendium peccati mors, gratia autem Dei vita æterna*. Nam ſolius Diuinæ gratiæ munus eſt, quòd humana opera digna ſint æterna vita. Atque hæc ſunt, quæ hæreticorum vulgus paſſim obtrudere veritati ſolet. Caluinus autem aliquid maius moliri videtur in Antidoto Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 16. *Quòd vitam æternam faciunt mercedem, in eo ab illis diſſentio. Quin potius hæreditatem eſſe Scriptura vbique proclamat; quæ non alio quàm gratuitæ adoptionis iure nobis obuenit.* hęc ille. Sed parum refert, ſi à Catholici Concilij decreto Apoſtata Caluinus diſſentiat, cùm minimum ex allatis Scripturæ teſtimonijs, quæ vitam æternam *mercedem* claris, diſertiſque verbis faciunt, ad

Calui-

Caluini, & mille eius farinæ tenebrionum audaciam retundendam ſufficiat, & ad inuerecundum quod ſubiungit mendacium refellendum: quòd ſcilicet Scriptura vitam æternam *hæreditatem* eſſe vbique proclamet. Nam pro mercede manifeſta ſunt, quæ citaui. Neque tamen Catholici illarum Scripturarum, quæ ſe filios Dei per adoptionem, & cæleſtis Regni hæredes faciunt, authoritatem infringere, aut à tam ſpecioſa, & nobili prærogatiua recedere volunt. Imò ne à tam præclara hæreditate vi vlla, aut fraude deturbari poſſint, omnes omnino conditiones, quibus hæc aditur, recipiunt, inter quas bona opera toties in Scripturis decantata videmus. *Qui ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam*, ad Galat. 6. Iam verò quòd titulus hæreditatis, quo ſolo paruuli ante rationis vſum vitam æternam obtinent, adultis minimè ſufficiat, conuincitur ex Coloſ. 3. *Quodcunque facitis, ex animo operamini, ſicut Domino, & non hominibus; ſcientes quòd à Domino accipietis retributionem hæreditatis*. Opera enim requirit Apoſtolus; & retributionis, ſeu mercedis, non minus quàm hæreditatis mentionem facit. Nec nouum eſt, vt aliquis duplici titulo hæreditatem adeat, cùm Chriſtus ipſe, cui per naturam gloria, & imperium debebatur, ea nihilominus meritis proprijs voluerit acquirere: *Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autē Crucis: propter quod & Deus exaltauit illum*, ad Philip. 3. Vrgent præterea Aduerſarij, vt meritorum valorem deſtruant, quod Luc. 17. habetur. *Cùm feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite, ſerui inutiles ſumus*. Cui ego oppono il-

no illud Matth. 25. *Euge ſerue bone & fidelis*. & 2. Timoth. 2. *Si quis emundauerit ſe ab iſtis, erit vas in honorem ſanctificatum, & vtile Domino*. Quæ licèt ad ora impura occludenda ſatis ſuperque valeant; volo nihilominus cum Luca fateri quòd ſerui inutiles ſimus: niſi enim Deus operibus noſtris ſubueniret ſua gratia, & nobiſcum liberali pacto conueniret, nullam prorſus mercedem iure petere, aut mereri poſſemus. Vtiles tamen, & fideles cenſebimur, ſi collata gratia benè, pièq. operando rectè vtamur. Citant præter allata D. Paul. ad Rom. 8. *Exiſtimo enim, quòd non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*. Quo ne contra veritatem abuti poſſint Nouatores, afferam eiuſdem Apoſtoli verba ad Theſſal. 2. *Vt digni habeamini regno Dei, pro quo & patimini*. Cui fauet Luc. 20. *Qui verò digni habebuntur ſæculo illo, & reſurrectione*. Secumnè ergo Scriptura pugnat? minime. vnus enim idemque ſpiritus, omnium diuinorum Oraculorum author eſt, qui per D. Paulum 2. Corinth. 4. propoſitas difficultates tollit. *Momentaneum, & leue tribulationis noſtræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis*. Ibi momentaneum cum æterno committitur, inter quæ nulla eſt æqualitas, ſi ſingulorum valor ſpectetur; atque adeo non ſunt condignæ paſſiones ad futuram gloriam. verum ſi momentaneo gratia accedat, ad tantam extolletur dignitatem, vt æternum gloriæ pondus operari in nobis valeat.

ASSER-

Digitized by Google

ASSERTIO IV.

De Indulgentijs.

CVm nihil communius ſit in hac rerum vniuerſitate, quàm vt mortales immenſam Dei benignitatem peccando ad iracundiam prouocent; nihil profectò vtilius ſalubriuſue humano generi excogitari poteſt clementi peccatorum remiſſione, quam à morte, & ſanguine Chriſti promanare Diuina teſtantur Oracula. Verùm quia peccatum pluribus malis animas implicat, expendenda ſunt ſingula, vt ſuis curari poſſint remedijs. Eſtque primum *culpa*; ſecundum *reatus*, ſeu dignitas pœnæ tali culpæ debitæ; tertium denique *pœna* ipſa, quam æternam fore docet Chriſtus, Matth. 25. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum*. Sublata porrò, aut remiſſa culpa, tam reatus, quàm pœna æterna, ex communi omnium ſententia remittitur: hæc enim ab illa, vt riui à fontibus ſuis, originem habent. Difficultas ergo in præſenti negotio moueri ſolet, an remiſſa culpa mortali, ac reatu pœnæ æternæ, maneat nonnunquam pœna temporalis in vindictam, ſeu punitionem ſceleris præteriti? negat cum ſuis Caluinus, nos cum Eccleſia Catholica, & Scriptura ſacra aſſerimus. Nam mors, & ceteræ præſentis vitæ calamitates, quæ in pœnam peccati originalis patimur, ſubeundæ ſunt etiam ab ijs, quos ſacrum Baptiſmi lauacrum ab omni criminis labe purgauit.

Per,

Per vnum hominem peccatum intrauit in hunc mundum, & per peccatum mors, Rom. 5. Quòd autem peccatum actuale pœna temporali puniat Deus, eorum, qui primi peccauerunt, exemplo didicimus. *Quia comediſti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo*. & paulo inferius: *In ſudore vultus tui paſcèris pane tuo*. & iterum, *in dolore paries*, Geneſ. 3. De Moyſe & Aaron ob incredulitatem vita priuatis agitur Deuter. 32. *Locutus eſt Dominus ad Moyſen dicens, aſcende in montem iſtum, & morere, ſicut mortuus eſt Aaron frater tuus, quia præuaricati eſtis contra me in medio filiorum Iſrael*. Idololatriam, qua ſe Iſraëliticus populus in deſerto Synai iræ Diuinæ obnoxium reddidit, nece totius multitudinis punire decreuerat Deus: *Dimitte me, vt iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos*. Ad propoſitum quoque noſtrũ facit id quod habetur Num. 14. vbi omnes illi, qui contra Deum in deſerto murmurauerunt, prius quàm terram Promiſſionis ingrederentur, morte deleti narrantur. Dauid Rex, poſt impetratam adulterij, & grauiſſimi homicidij veniam, caſtigatus fuit morte vnius filij (2. Reg. 12. *Deus tranſtulit peccatum tuum*, en culpæ remiſſionem, *verumtamen quia peccaſti, morietur filius tuus*; quo ſubeunda pœna indicitur) & alterius rebellione: ibidem cap. 16. *Ego ſuſcitabo ſuper te malum de domo tua*. Eidem, quia populi ſibi ſubditi numerum, inconſulto Domino, iniuit, triplex pœna proponitur 2. Reg. 24. Certum præterea eſt, Deum nonnunquam pœnam temporalem aut totam, aut ex parte remittere, non exacta ſeuera illius ſolutione.

lutione. Nam ex laudato Exod. 32. cap. conſtat, Moyſen non modò lethali culpæ veniam illis, qui vitulum aureum adorauerant, impetraſſe; verùm mortis quoque, ad quam omnes deſtinabantur, ſententiam mitigaſſe. *Placatuſque eſt Dominus ne faceret malum, quod locutus fuerat aduerſus populum ſuum.* Examinandum nunc reſtat ex profeſſo, num pœnæ temporaneæ (nam æternam Chriſti ſanguine per Eccleſiæ Sacramenta deleri in confeſſo eſt) ſatis fieri poſſit non tam ab ipſo reo, quàm ab alijs, quibus copioſior bonorum operum medicina ſuppetit. De meritis ſuperabũdantibus Chriſti non eſt diſputandũ: nam licèt minima Diuini illius ſanguinis gutta ad totius mũdi ſcelera expianda ſufficeret, voluit nihilominus tanta & talia, & ante mortem, & in morte pati ſupplicia, ad quæ vel animo concipienda humana mens horret. Quod verò in culpa, & pœna æterna diluenda interuenit, idem proportione habita in temporanea contingere credendum eſt. Mortuus quidẽ eſt Chriſtus pro vniuerſi humani generis peccatis: nemo tamen immenſi illius theſauri beneficio æternæ mortis debitum effugit, niſi quibus infinita Redemptoris merita per Fidem, & Baptiſmum applicantur. Alioquin quæ potior ratio eſſet, cur Chriſtiani ad Regnum cœlorum ius habeant, quàm Iudæi, Turcæ, ceteraque infidelium colluuies? Superabũdat itaque Paſſio Chriſti pro æterna, ſuperabundat etiam pro temporanea pœna. Illa per Fidem, & Baptiſmum in eius ſanguine tollitur: hæc per Pœnitentiam, & Satisfactionem in eodem remittitur. Quare ſicut nulla fit iniuria meritis

Chri-

Chriſti in ſalutis æternæ negotio, dum hæc ab Eccleſiæ miniſtris petentibus conferuntur; ita profectò in ſatisfactione pro temporaria pœna arguendum eſt. Satisfactio porrò noſtra omnem vim habet à ſatisfactione Chriſti: hæc tamen illam requirit, vt paſſim Scriptura teſtatur. Niniuitæ Ciuitatis ſuæ excidium, quod illis per Ionam Deus minatus fuerat, oratione, ieiunio, & acerba corporum maceratione fugerunt, Ion. vlt. quò ſpectat illud Tobiæ 4. *Eleemoſyna ab omni peccato, & à morte liberat.* & 12. *Bona eſt oratio cum ieiunio, & eleemoſyna.* Quæque habentur Matth. 11. de Tyro, & Sidone, clare docent, temporalem pœnam ſatisfactione hominum vitari poſſe. *Si in Tyro, & Sidone facta fuiſſent virtutes, quæ facta ſunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent.* & infra. *Si in Sodomis facta fuiſſent virtutes, quæ facta ſunt in te, fortè manſiſſent vſque in hanc diem.* Idem probat D. Paulus 1. Corinth. 2. *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo.* Pergo vlterius, aſſeroque non ſolùm per Chriſti, aut propriam ſatisfactionem, ſed per alienam etiam, homines à temporali pœna liberari. Vnus mihi pro multis hic erit D. Paulus; qui non ſemel propoſitam veritatem docet. *Ego libentiſsimè impendam, & ſuperimpendar pro vobis*, 2. Corinth. 12. & 2. Timoth. 2. *Omnia ſuſtineo propter electos*: & 2. Corinth. 8. *In præſenti tempore veſtra abundantia illorum inopiam ſuppleat, vt & illorum abundantia veſtra inopiæ ſit ſupplementum.* Ex quo clarum eſt, pauperum ſatisfactiones in peccatorum pœna delenda diuites adiuuare poſſe, non minus quàm horum facul-

tates

tates illorum pauperiem ditare. Neque hiſce contentus, euincam manifeſtè quod in hac controuerſia difficillimum videtur, ſatisfactiones nimirum Sanctorum ſatisfactionẽ Chriſti hominibus applicare, ad Coloſ. 2. *Gaudio in paſſionibus pro vobis, & adimpleo quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea pro corpore eius, quod eſt Eccleſia*. Singula hìc attentè ſunt perpendenda: idque in primis, quòd paſſiones Apoſtoli non fuerint animi angores, nam paſſum ſe aſſerit in carne propria pro Coloſſenſibus, & adimpleſſe quæ deerant paſſionum Chriſti; hiſce profectò, quæ tanti valoris erant, vt ſexcentos mundos redimere poſſent, nihil defuit, niſi vt applicarentur. Sequitur tandem memorandum planè Catholicæ veritatis dogma, quo audito aut fugient, aut manus dabunt aduerſarij, *pro corpore eius quod eſt Eccleſia*. Ærarium igitur Eccleſiæ, in quod Paſſionum ſuarum tributum coniecit Apoſtolus, nec recens, nec inane eſt, nec Romanorum Pontificum tyrannide locupletatum, vt perfidè Nouatores; ſed voluntaria meritorum Chriſti & Apoſtolorum, quique horum veſtigia deinceps ſunt ſecuti, oblatione inſtitutum, ditatum, ac conſeruatum. Quare ſi rem gratam Chriſto feciſſe credimus D. Paulum, dum paſſiones ſuas Theſauro Eccleſiæ contulit; cur non idem de ceteris eiuſdem pietatis aut ſocijs, aut ſequacibus credendum erit? Neque Paulus veritatem hanc ſolus profitetur: idem reliquorum omnium Apoſtolorum ſenſus, doctrina eadem. *Credo Eccleſiam Catholicam, Sanctorum communionem, remiſſionem peccatorum*. Quid aliud ſibi vult hic

decan-

decantatus toties Apoſtolici Symboli articulus, quàm eſſe in Eccleſia Dei meritorum theſaurum, à viris ſanctis in Chriſti ſanguine collectorum, eſſe peccatorum remiſſionem, quæ per ſuperabundantium meritorum Chriſti, & Sanctorum applicationem fiat? Hiſce præmiſſis, ius faſque mihi tandem ſit Indulgentias nominare. Indulgentia enim nihil aliud eſt, quàm *relaxatio pœnæ temporalis per applicationem ſuperabundantium meritorum Chriſti, & Sanctorum eius, quæ fit ab eo, qui legitimam authoritatem habet.*

ASSERTIO V.

De Purgatorio.

MAximum crudelitatis argumentum eſt in mortuos ſæuire; atque illis, quibus naturæ imperium omnem auxiliandi ſibi ſpem abſtulit, ea negare ſubſidia, quæ vel ad animarum beatitudinem, vel ad nominis immortalitatem conducere poſſunt. Martinus Lutherus, tetra Germaniæ ſuæ lues, poſt oppugnatos Indulgentiarum theſauros, gradum ad cetera Fidei dogmata profananda ſibi fecit. Nam quò illarum vſum inutilem prorſus eſſe tutiùs ementiretur, duo excogitauit commenta, vnum ad viuos, alterum ad vita functos, ab vſitatis in Eccleſia ſalutis remedijs arcendos. Illis enim perſuadere conatus eſt, nulla vnquam peccata hominum deleri; iuſtitiæ habitum non acquiri; nullam eſſe humani arbitrij libertatem; mortalium

talium opera, Dei gratia cooperante facta, nullius apud Deum meriti eſſe; atque alia huius generis plurima. quæ ſi vera eſſent, ipſe Chriſti Sanguis, ne dicam Indulgentias, aut nihil, aut certè parum hominibus prodeſſet. Mortuorum verò cauſam tam celeri, rigidoq. iudicio peregit, vt nullum poſthumæ ſatisfactioni, aut leuioribus culpis purgandis locum reliquerit. Lutherum hac in parte, tanquam Minoa aliquem, ſequutus eſt Caluinus, ceterique ætatis huius Nouatores. Aliter profectò Catholica ſentit Eccleſia, quæ vt piam & ſolicitam parentem decet, filiorum ſuorum curam nec morte relinquet, donec redux ad orbem iudicandum Chriſtus bonos à malis æternùm ſeparabit. Quàm autem grata Numini ſit viuorum pro defunctis ſolicitudo, ipſa diuinorum Oraculorum teſtatur authoritas 2. Machab. 12. vbi ſacrificium à Iuda, Duce non minus religioſo, quàm ſtrenuo, ſequentibus verbis approbatur: *Sancta ergo, & ſalubris cogitatio eſt pro defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur*. Illud verò quod Matth. 12. habetur, adeò clarè Purgatorium aſtruit, vt nihil meo iudicio addendum videatur. *Qui dixerit contra Spiritum ſanctum, non remittetur ei neque in hoc ſæculo, neque in futuro*. Hæc ineptè dixiſſet Chriſtus, niſi quædam peccata in futuro ſęculo remitterentur animabus à corporum vinculo ſolutis. Sed cùm in Cælo nihil ſceleris vllius labe fœdatum reperiatur, in inferno verò nulla ſit redemptio; fatendum omnino, eſſe locum, in quo peccatorum remiſſio fieri poſſit, tam à Cælo, quàm ab Inferno ſeiunctum. Inſignem veritatis huius pro-

pugnatorem habemus D. Paulum Apoſtolum, qui 1. Corinth. 3. de operibus hominum agit, ſumpta ab ædificio metaphora: poſtquam verò eorum, quæ nullam aſperſam habent malitiam, certam ſecuramque mercedem conſtituit, tranſit ad illa, quæ peccatis aliquibus permixta ſunt; de quibus ita diſſerit: *Si cuius opus arſerit, detrimentum patietur: ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem.* Ac ne quis putet Apoſtolum hìc ambiguè de Purgatorio locutum, ſubiungam, quæ eiuſdem Epiſtolæ cap. 15. docet: *Alioqui quid facient qui baptizantur pro mortuis, ſi omnino mortui non reſurgent? vt quid & baptizantur pro illis?* Quicquid hìc per Baptiſmi vocem ſiue oratio, ſiue ieiunium, ſiue quodcunque demum opus pium intelligatur, clarum atque manifeſtum eſt, magnam fuiſſe Chriſtianis Diui Pauli tempore de mortuis curam; & meritò. nam illi, quos ſaluos fore, ſic tamen quaſi per ignem cap. 3. dixerat, iuuandi erant à viuis, fraternæ charitatis officijs. Magni præterea in præſenti aſſertione ponderis ſunt, quæ in ſuperiore de Indulgentijs oſtendi: vbi fusè probaui, remiſſa culpa mortali, & reatu pœnæ æternæ, remanere nihilominus pœnam temporalem ab homine iuſto ſubeundam; cui niſi in hac vita fecerimus ſatis, in futura ſine dubio expianda erit. Nec ſpernendum eſt argumentum, quod nonnulli ex natura peccati venialis deducunt. Hoc gratiam, & amicitiam cum Deo non tollit, vt ex libri 2. aſſert. 2. de peccato videre eſt. Quare cùm multi ex præſenti vita huiuſmodi culpis obnoxij migrent, (nam *ſepties in die cadit iuſtus*)

ſtus) qui ad Paradiſi gloriam non admittuntur: *Non enim intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens, & mendacium*, Apoc. 21. hos tamen ad æternos Inferni cruciatus immenſa Dei pietas detrudi non patitur. At Scriptura, inquiunt, duo ſolum eſſe vita functorum receptacula, vnum damnationis in Inferno, alterum ſalutis in Cælo, ſæpius teſtatur. Verùm ego, ni fallor, frequentem in illa de tertio mentionem fieri euici. Nunc non tam diſputandi, quàm animi gratia interrogo, ex quo loco ad vitam reuocata ſit anima filij Viduæ Sareptanæ mortui ab Helia? 3. Reg. 17. ab Heliſæo filij Sunamitidis, 4. Reg. 13. à Chriſto filiæ Iairi? Luc. 8. filij Viduæ in Naim, Luc. 7. Lazari? Io. 11. atque illorum, de quibus tempore Paſſionis ſcribitur: *Monumenta aperta ſunt, & multa corpora Sanctorum qui dormierant, ſurrexerunt*, Matth. 27. Venio nunc ad ea, quæ pro ſe afferunt Nouatores: inter quæ ſolemne eſt illud Matth. 25. *Ibunt hi in ſupplicium æternum, iuſti autem in vitam æternam:* rectè quidem. Semper enim Catholica Eccleſia profeſſa eſt, poſt extremi iudicij diem, de quo ibi Chriſtus agit, æterna fore ſiue præmia, ſiue ſupplicia. Quod autem afferunt ex Luc. 23. *Hodie mecum eris in Paradiſo*, nihil prorſus concludit. Quis enim tam ignarus eſt, qui neſciat, Chriſtum peccata quamuis maxima, pœnamque non modò æternam, ſed temporaneam quoque condonare Latroni potuiſſe? neque noſtra hoc loco queſtio eſt: an aliqui in Cælum rectà tendant, alij in Infernum; de quo nemo dubitat: ſed vtrum poſt vitam præſentem vlla pec-

catorum detur remiſſio: quam producti ab Aduerſarijs boni Latronis exemplum egregiè probat. Hic enim qui ſciebat optimè, peccatorum remiſſionem poſt mortem fieri ſolitam, dixit, *Memento mei Domine*, non antequam moriamur, ſed *dum veneris in regnum tuum*. Ineptè autem proferunt ex Apoc. 14. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur*: nam toto illo capite de extremo iudicio agitur. Quò etiam referendum eſt illud Pſalmi 126. *Cùm dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce hæreditas Domini*. Salomon verò, dum Eccleſiaſtæ 11. ait: *Si ceciderit lignum ad Auſtrum, aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit*: potius de morte hominis naturali, quàm de futuro ſtatu animæ loqui videtur. Sed eſto, de hoc omnino agere dicatur; nihil contra veritatem affert. Nam animæ, quæ leuia ſua crimina, aut reliquam grauium pœnam in Purgatorio luunt, cùm de gratia Dei, & futura in Cælis beatitudine certæ ſint, ad Auſtrum cadere cenſendi erunt. Argumentum, quod ex infinito valore ſatisfactionis Chriſti deducunt, in Aſſertione quarta eneruaui; vbi oſtendi, illam, quamuis ad mille mundos redimendos ſufficiat, nullis tamen prodeſſe, niſi quibus per media debita applicatur. Hæc autem in infantibus Baptiſmus ſolus, in adultis præſtat Baptiſmus, & Pœnitentia, quibus mortalis culpæ, atque æternæ pœnæ reatus tollitur. Sed pœna temporalis noſtram ſatisfactionem requirit, Apoſtolo teſte Rom. 8. *Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti: ſi tamen compatimur, vt & glorificemur*. Eiuſdem momenti ſunt, quæ vrgent ex ijs Scripturæ

locis,

Digitized by Google

locis, quæ teſtantur gratuitam eſſe peccatorum remiſſionem. Nam vt hæc vera ſint, ſatis eſt quòd hominibus gratis concedatur gratia, qua amici Dei, & hæredes vitæ æternæ conſtituuntur: imò gratis data eſt ſatisfactio Chriſti, ex qua noſtra vim habet ſatisfaciendi pro pœna temporali. Quando autē Scriptura aſſerit Deum ita peccata remittere, vt eorum non recordetur amplius, intelligenda eſt de pœna æterna: nam quòd temporalis ſæpe luenda maneat, claris diuini verbi Oraculis ſatis ſuperque probatum eſt in aſſertione de Indulgentijs. Exponenda ſuperant verba illa D. Pauli ad Rom. 14. *Omne quod non eſt ex Fide, peccatum eſt*. Ex quibus, nec modo, nec forma Dialecticæ obſeruatis, inferre ſolent aduerſarij, orationem pro mortuis eſſe peccatum: Hæc enim, inquiunt, ex Fide eſſe non poteſt, cùm orans de ſtatu mortui non ſit ſecurus. Sed quis non videt aliam longè eſſe Apoſtoli mentem? qui nihil aliud loco citato vult, quàm, ea quæ non fiunt ex dictamine rectæ conſcientiæ, ſiue quæ non fiunt in bona Fide, eſſe peccata: quæ nemo de oratione pro mortuis fieri ſolita negabit. Sed quoniam de Fide ſermo incidit, addam quod non abs re Lectori videbitur. Fides Chriſtiana, quamuis omnem excludat dubitationem circa articulos à Deo reuelatos, non tamen eandem arcere poteſt ab illis omnibus, quæ de obiecto Fidei quæri poſſunt. Res tota exemplo erit manifeſta. Credo Chriſti latus in Paſſione haſta militis tranſuerberatum: ſed dubito, num illud dextrum an ſiniſtrum fuerit. Credo, illum ad cælos aſcendiſſe: dubito, quibus

fuerit comitatus: credo Spiritum ſanctum ſuper Apoſtolos aſcendiſſe, dubito interim, an æqualiter in omnes, gratiæ cæleſtis theſauros profuderit. Credo Deum exaudire noſtras orationes in Chriſti nomine oblatas, certamque eſſe promiſſionem Ioannis 16. factam: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabitur vobis:* dubito tamen, num Petrus, aut Iacobus impetraturus ſit, quod hic & nunc petit. Redeo iam ad inſtitutum noſtrum, atque eodem ordine quoque hic diſſero. Credo enim eſſe Purgatorium, in quo mortalium animæ temporalibus pœnis ob patrata crimina plectuntur: credo inſuper eaſdem Catholicorum orationibus iuuari. verùm dubium mihi, idque grauiſſimum, oritur, de ſtatu huius vel illius animæ; aut de huius, vel illius orationis fructu. Fruſtra ergo aliquis pro mortuis orabit? minime. nam gratæ ſemper Deo piorum orationes ſunt, quamuis optatis aliquando deſtituantur. Neque hoc vllus moleſtè ferre debet. Idem enim ipſi Dei Filio vſu veniſſe tradit Lucas c. 23. dum pro crucifigentibus ſe orauit, *Pater dimitte illis: non enim ſciunt quid faciunt*; è quibus aut nullos, aut paucos ſceleris tanti veniam impetraſſe certum eſt.

ASSER-

ASSERTIO VI.

De Sanctis.

QVò faciliùs, tutiùſque Sanctorum in cælo regnantium merita, & dignitatem oppugnare poſſint Nouatores, ſpecioſam fucatæ pietatis laruam rudiorum oculis obijciunt; ſcilicet Dei, Chriſtique gloriæ apertè detrahi, quicquid Sanctorum exiſtimationi tribuitur. Hoc autem quàm falſum ſit, in progreſſu aſſertionis patebit. Nos interim cum veritatis Catholicæ magiſtra Eccleſia animarum beatarum patrocinia ſolicitis votis, contra omnem hæreticæ prauitatis fallaciam, procurabimus: quarum nullus, vt opinor, deteriorem conditionem faciet illis, quæ mortalium corporum nexibus implicitæ in communi miſeriarum omnium ergaſtulo degunt. Hæ enim tantùm in ænigmate, illæ facie ad faciem totius boni origine fruuntur: hæ in via, illæ in patria: hæ quotidianis peccatorum maculis iram Diuinam prouocant, illæ non modo à crimine, ſed à leuiſſimi etiam erroris periculo liberæ, immenſam Dei Maieſtatem aſſiduis laudibus venerantur. At manifeſtum eſt ex iteratis Diuini verbi teſtimonijs, hominum hìc in terris commorantium ſuffragia peti ab alijs ſolita, viuentibus adhuc Orthodoxæ Fidei præceptoribus Apoſtolis. *Orationi inſtantes orate ſimul pro nobis*, Coloſſ. 4. *Fratres orate pro nobis*, 1. Theſſal. 5. *Orate pro inuicem, vt ſaluemini*, Ia-

cobi 5. Quòd ſi mortalium vota tanto apud Deum in pretio ſint, vt non ſibi tantùm, ſed alijs quoque prodeſſe valeant; quanto magis immortalium petitiones Numini immortali gratæ cenſebuntur? Nec allatæ veritati officit, quod ex 1. Timoth. 2. deſumunt aduerſarij: *Vnus mediator Dei, & hominum, homo Christus Ieſus*. aut illud Epheſ. 2. *Per ipſum habemus acceſſum ad Patrem*. Nam vnus ſine dubio apud Deum mediator eſt Chriſtus, ſine quo omnis humana vileſcit induſtria. Numquid non etiam Deus paſſim in Scriptura vocatur ſolus bonus, ſolus iuſtus, ſolus ſanctus? iiſdem nihilominus titulis homines à ſacris Scriptoribus ornantur: quicquid ergo Deo ſoli conceditur, quod in hominibus etiam reperitur, id in illo vt in fonte, in hiſce vt in riuulis quærendum. Sed ne longius à propoſito recedam, allatam difficultatem ex ijs, quæ iam dicta ſunt, diſſoluam. Nam ſi Apoſtolus, dum vnum Chriſtum mediatorem facit, omnem humanam, in hominum cauſis apud Deum agendis, operam minimè excludit: quæ ratio erit, cur potiora terreſtrium, quàm cælitum iura, in ipſo cæli foro arbitremur? an fortè quia hi cogitationes, & vota noſtra non audiant? verùm hoc falsò, vt cetera, affirmant Nouatores: certum enim eſt, intuitiuam Dei viſionem, vt loquuntur Theologi, ſecum adferre diſtinctam rerum ad vniuſcuiuſque ſtatum ſpectantium cognitionem. Samuel, Eliſæus, Daniel, D. Petrus, & plures alij, nondum mortalitatis vinculis exuti, intimos humanarum mentium receſſus, ipſa Scriptura teſte, rimabantur; qui exigua

tantùm

tantùm illius fluminis gutta aſperſi erant, cuius impetus lætificat Ciuitatem Dei. Adde quòd de beatis ſpiritibus, quorum priuilegijs, non minus quàm Ciuitates, donatæ ſunt iuſtorum animæ (*erunt ſicuti Angeli Dei*) nullum dubium eſſe poſſit, an hominum preces, & deſideria intelligant. Nam Raphaelis apud Tobiam 12. verba ſunt: *Quando orabas cum lacrymis, ego obtuli orationem tuam Domino*. Eiuſdem veritatis teſtis eſt D. Lucas 15. *Gaudium erit coram Angelis Dei ſuper vno peccatore pœnitentiam agente*. Si ergo huius atque alterius patriæ incolæ, homines nimirum & Angeli, latentes mortalium cogitationes ſcrutari valeant; cur ſolis beatis Mentibus poſt parta immortalitatis præmia eam prærogatiuam negabimus, qua illorum plurimi hìc in terra fruebantur; quæque in cælis ipſam Angelorum beatitudinem comitari ſolet? Qua autem ratione intelligendum ſit quod obijciunt aduerſarij ex 3. Reg. 8. *Tu noſti ſolus cor omnium filiorum hominum*, ex dictis patet; nemo enim aſſerit aut Angelos, aut beatas Mentes, aut in hac vita degentes mortales, vllam de hominum cogitationibus notitiam habere, niſi quam docente, & reuelante Deo aſſequuntur; qui ſolus corda hominum ſcrutari rectè dicitur, quia ceteri ea tantum vident, quæ ipſe videnda exhibet. Alia quæ in hanc ſententiam ex veteri Teſtamento depromunt Nouatores, nullius in præſenti controuerſia ſunt momenti. Nam cùm nemo ante Chriſtum cælos intrauerit, vel omnia videntem viderit, mirum non eſt, ſi Scriptura antiquis Patribus, & Prophetis illam, de qua hìc agimus, ſcientiam deneget

get

get. Fuit nihilominus tam in veteri, quàm in nouo Teſtamento ſolemne, ipſiuſque Dei mandato imperatum, vt iuſti reorum patrocinia ſuſciperent. *Sumite ergo vobis ſeptem tauros, & ſeptem arietes, & ite ad ſeruum meum Iob, & offerte holocauſta pro vobis. Iob autem ſeruus meus orabit pro vobis. Faciem eius ſuſcipiam, vt non vobis imputetur ſtultitia*, Iob 42. Nec prætermittendum eſt, quod paſſim Scriptura commemorat, Deum nempe quoties ad iracundiam Iſraelitici populi ſceleribus prouocabatur, iteratis à ſupplicibus ſeruorum ſuorum Abraham, Iſaac, Iacob, Dauidis, & aliorum nominibus placari ſolitum. Quorum ſi tam grata Numini memoria fuit, etiam dum à beatitudinis patria exularent, quidni magis gratam in præſentia cenſebimus, dum intimos cæleſtis aulæ receſſus, amicitia, & familiaritate Dei ſpectabiles, incolunt? Verùm ne in huiuſmodi, quibus ſacra volumina abundant, narrandis longior ſim; accipe, mi lector, luculentum de beatarum mentium officio teſtimonium, Apocalip. 5. quo nihil clarius, diſtinctiuſve in hac materia, ab vllo Catholicæ veritatis profeſſore contra Nouatores afferri poteſt. *Viginti quatuor ſeniores ceciderunt coram agno, habentes ſinguli cytharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum.* Nihil addo; nam ſuperflua eſſet omnis tam liquidæ veritatis explanatio. Potenti hoc Diuini verbi fulmine perculſi Nouatores, ad nugas, & calumnias more ſuo recurrunt; magniſq. clamoribus apud plebem contendent, non debere humanis mentibus tantum hono-

rem

rem concedi, vt aliorum cauſis patrocinari credantur: ſic enim facilè viam ad illorum cultum aperiri, qui in maximam Diuinæ magnitudinis iniuriam cedit. O ignauos veræ pietatis religionisq. hoſtes! Veſtrùm nè cœli munera, dignitatesq. tutari, an Chriſti? cuius verbis ſi tam ſinceram fidem haberetis, quam falsò iactatis, iampridem ſtolidæ vos dicacitatis puderet: nam rerum humanarum notitia, aduocatio reorum, & certum ſupplicum patrocinium, parua ſunt, ſi cum illis cõponantur, quæ Euangelij ſui præconibus Chriſtus promiſit. Ponite vobis ante oculos, animisq. vt poteſtis concipite, verendum illum extremi iudicij diem (quæ cogitatio vobis non in hac ſola controuerſia, ſed in omnibus alijs Fidei dogmatibus vtilis erit) cernite, cernite, inquam, humana carne veſtitum Deum, ante cuius thronum cœlum, & terra, & quæcunque in hiſce reperiuntur, mouenda ſunt. Expalleſcet Sol, obſcurabitur Luna, Stellæ è ſphæris ſuis decident, morientur viui, mortui ad vitam redibunt, ſiccabitur Mare, atque obſcura Inferorum domicilia patebunt. Diſcurrent hinc inde tam fido miniſterio deſtinati Angeli, ſiſtentq. ante iudicis tribunal humanum genus vniuerſum. Quis tantæ maieſtatis ſplendorem feret, ante quam ipſimet cœleſtes Spiritus extra iudicij aleam poſiti contremiſcent? Obſtupeſcite Cœli ſuper hoc; & vos, qui beatarum mentium dignitati fauetis, animos ſumite. Sedebit in venerandæ Maieſtatis throno viuorum, atque mortuorum Iudex, ſed non ſolus. Mira Dei bonitas ſocios vult gloriæ, quos co-

mites

mites habuit laborum. In tanto rerum omnium motu ſedebunt cum Chriſto iudices Apoſtoli. *Sedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael*, Matth. 19. Arceant nunc ab aduocatione Nouatores, quos, nolint velint, Iudices ſunt viſuri. Tantum porrò abeſt, vt cultus, qui Sanctis tribuitur, diuino honori obeſſe poſſit, vt è contrario quammaximè illi inſeruiat. Deum enim vt cunctarum rerum Dominum, & conditorem, totiusq. boni fontem perpetuum veneramur; Sanctis vero, vt æterni Numinis amicis, & familiaribus, pluſquam terreno, non tamen diuino cultu litamus; quem aſſiduè plaudentium voces comitantur: *Sic honorabuntur quoſcunque voluerit Deus honorare*.

ASSERTIO VII.

De Imaginibus.

OPpreſſus graui Ægyptiacæ ſeruitutis iugo populus Iſrael, potentium, dominorumque, vt ſæpe fit, non modò fortunam, ſed mores quoque ſuſpiciens, titubare cepit in illis, quæ ad veri Numinis cultum ſpectare fida maiorum relatione didicerat. Quare vt tanti mali principijs obſtaret Deus, Moyſen, & Aaronem in prodigioſæ libertatis miniſterium electos, migrantibus ex Ægypto Abrahæ poſteris duces rectoreſque præfecit. Verùm cùm tanta ſit humanæ mentis, iuncta cum rationalis naturæ excellentia,

inſæli-

Digitized by Google

infelicitas, vt mali non minus, imò nonnunquam magis quàm boni; ſit cuſtos, non opus fuit, vt illi qui à Patrum ſuorum religione ad idolorum cultus turpiter defecerant, plauſtra aut currus, quibus detegi ab alijs impietas poſſet, ad profanas ſtatuas circumferendas aptarent. Nam quiſquis animum fœdis ſuperſtitionibus infectum habebat, is ſecum idola Pharaonis, Nili monſtra, vniuerſamque Ægypti prauitatem ſumptu, & labore exiguo vexit. Veritatem hanc manifeſtus, heu nimium, exitus ad Sinai montis radices comprobauit: vbi ad tumultuantem in caſtris multitudinem in officio continendam plus valuit conflatus ex muliercularum inaureis vitulus, quàm facunda Aaronis oratio, aut propinqua ipſius Dei in monte fulgurantis maieſtas. Impietas hæc non minus quàm reliqua corruptæ nimia licentia gentis vitia, lata per Moyſen lege coercita fuit, Exod. 20. *Non habebis Deos alinos coram me: non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem, quæ eſt in cælo deſuper, aut in terra deorſum, neque eorum, quæ ſunt in aquis ſub terra: non adorabis ea, neque coles.* Hæc origo, hæc Diuini mandati ſumma eſt: cuius authoritate Nouatores ad ſacras Imagines Chriſtiano populo interdicendas abutuntur: quas cùm impijs profligatæ Gentilitatis Idolis confundere annixi, cælo ipſi cæleſtibus armis bellum inferre contendunt. Omitto hìc, quæ pio ſagacique lectori ſtatim in mentem venient: quàm ſcilicet diuerſa præſentia ſint tempora ab ijs, quibus Moyſes legem Dominicam tanta cum ſeueritate publicauit. Abrahæ poſteri, Pharaonum,

raonum, vt dixi, non minus impietati, quàm imperio ſubiecti, publico Idolorum cultui tantùm non ſuccubuerant: at Catholicæ religionis profeſſores, qui fidem, non genus Abrahæ iactant, (nam maiorem illo Patrem habent Chriſtum, in cuius ſanguine ſunt renati) non Ægyptum modò, ſed vniuerſas præterea cogniti orbis regiones ab omni malorum dæmonum veneratione, ad vnius Dei veri cognitionem pertraxere; atque ita non tam de nationum idolis, quàm de proteruis hominum ſuperſtitione corruptorum mentibus (quod genus victoriæ, vt difficillimum, ita optimum cenſetur) triumpharunt. Hoſce idololatriæ poſt mille quingentos plus minus annos audent inſimulare? quorum labore cuncta gentium delubra, aut pijs vſibus ſacrata, aut euerſa cernimus; ſuccisos lucos, proſtrata Idola, atque omnem profanum cultum deletum. quæ ſi ad Lutheri, Caluinique apoſtaſim in honore permanſiſſent, nullum Chriſtianæ Fidei veſtigiũ ad poſteros deueniſſet. Sera nimis ea Fidei dogmata ſunt, quæ afferunt Nouatores ex tritis in Eccleſia Diuini verbi oraculis. hæc enim arma ſunt, quibus maiores noſtri vanas profligare ſuperſtitiones, atque veræ religionis fundamenta ſtabilire conſueuerunt. Quare vt ad allatum ſuperius Decalogi mandatum redeam, idipſum nihil omnino contra ſacrarum imaginum vſum continet. Ibi enim Deus præcipit, ne debitos ſibi ſoli diuinos honores Idolis gentium, aut vlli rei creatæ homines tribuant. Nam quòd omnes imagines Lex illa non vetet, vt falsò aduerſarij nituntur, clarius

eſt,

eſt, quàm vt vlla probatione egeat. Moyſes enim, fidus diuinæ mentis, interpres noluit ſacroſancta Decalogi præcepta alia arca claudi, quàm quæ cœleſtium ſpirituum iconibus decora, bino Cherubinorum ſatellitio fulgeret. cuius ne vllus præter Deum auctor putetur, Scripturæ ipſius verba ſunt audienda. *Dixit Dominus ad Moyſen.: Facies duos Cherubim aureos productiles ex vtraque parte oraculi*, Exod. 25. Alia inſuper eiuſdem rei probatio deſumitur ex Num. 21. vbi narratis Iſraelitici populi calamitatibus, qui ignitorum ſerpentum morſibus necabantur, ſubiungitur Dei præceptum in tanti mali auxilium. *Fac ſerpentem æneum, & pone eum pro ſigno: qui percuſſus aſpexerit eum, viuet*. Exaltari potuit ſerpentis, hoc eſt peſſimi, atque ab ipſo Deo maledicti animalis, ſtatua ſine vllo Idolatriæ periculo, nec exaltabitur imago Chriſti, qui maledicto ſublato captiuitatem in libertatem; atque mortem in vitam fælici traductione conuertit? de quo Ioann. 3. habetur: *Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto; ita exaltari oportet filium hominis*. Idem ergo Deus, qui imaginum abuſum Exodi xx. capite interdicit, earundem vſum in alijs Scripturæ locis expreſsè imperat. Quid porrò inter hæc duo diſcriminis ſit, ex 4. Reg. 18. diximus: vbi ſerpens ille, qui Domini præcepto conflatus fuit, Ezechiæ Regis optimi iuſſu confractus narratur, factum probante, & laudante Deo. Cernebat quippe religioſus Princeps, ſubditam ſibi gentem à veri Dei cultu defeciſſe, peſſimorum aliquot tyrannorum ſiue imperio, ſiue exemplo: qui vetita exterarum na-

tionum

tionum Idola, cùm probata Numini ſerpentis imagine ita confuderant, vt huic non minus quàm illis thura incenſa, aliaque Diuinitatis tributa ab imperita plebe offerrentur. Egregium hoc Ezechiæ facinus aliquot poſt ſæcula imitatus Gregorius Magnus, Eccleſiæ Catholicæ rector, conquiſitas vndique veteris impietatis reliquias, ſtatuas, quæ vel minimam profligatæ Idololatriæ inſurgendi anſam præbituræ videbantur, felici incendio abſumpſit, nulla aut artis, aut pretij habita ratione. illas tamen, quæ Cœlo placere ſolent, incredibili conſeruare diligentia, magniſque augere ſumptibus ſtuduit. Virum hunc non minori nominis gloria, quàm beata animæ immortalitate dignum, conuicijs inauditis onerant Nouatores: id crimini præter alia vertentes, quòd ſacrarum Imaginum vſum in Eccleſia propagauerit. Verùm hoc quoque, vt cetera omnia, mentiuntur: nam optimus ille Paſtor venerandus, Dei, Angelorum, hominumque pietate conſpicuorum imagines auguſtiore quidē apparatu, quàm veterum Pontificum inopia fieri patiebatur, inſtaurauit: nihil tamen nouum, aut inſolens hac in parte decreuit. Neque longiore apologia indiget Gregorius, aut vllus alius Chriſtiani gregis Paſtor. Quicquid enim illi de imaginibus docuerunt, id totum claris, ſolidiſque Scripturæ teſtimonijs roboratur. Ego omiſſis facilioribus, ad ea, quæ maximè vrgent aduerſarij, venio: Qui omnem in eo operam, ſtudiumque locant, vt ridiculum apud ſuos Catholicorum laborem faciant in Deo Patre, Sancto Spiritu, atque Angelis (nam Chriſti,

Chriſti, & Sanctorum imagines, licèt non debeant, poſſe ſaltem depingi fatentur) ſiue pictura, ſiue ſculptura effingendis. Nos interea artis huius præſtantiam non ad Apellem, aut Praxitelem, ſed ad rerum omnium conditorem Deum reuocamus: qui humanæ imbecillitatis non minus quàm propriæ immenſitatis conſcius, illis ſe lineamentis deſcripſit, quæ à mortalium ſenſibus in mentium penetralia demitti poſſunt. Bina doctrinæ huius dumtaxat teſtimonia, vnum ex veteri, alterum ex nouo Teſtamento producam; licèt nulla re magis quàm huiuſmodi, Scriptura abundet. Ezechielis capite primo verba ſunt: *Cùm eſſem in medio captiuorum iuxta fluuium Chobar, aperti ſunt cæli, & vidi viſiones Dei*. Quid autem viderit, ibidem narrat, ventum, nubem, ignem, quatuor animalia, rotas, thronum, hominem: quibus vberius deſcriptis, ita caput ſecundum orditur: *Hæc eſt viſio ſimilitudinis gloriæ Domini*. Alter mihi teſtis erit B. Ioannes Euangeliſta, prophetica, atque apoſtolica gloria celebris. Hic Euang. 1. ſcribit: *Quia vidi Spiritum deſcendentem quaſi columbam de cælo*. Quibus verò coloribus Deũ Patrem, Angelosq. exprimat, nulla Apocalypſeos pagina nõ loquitur. Quod Ezechiel, & Ioannes, hoc cum Daniele ceteri omnes ſacrorum voluminum ſcriptores fecere: qui nihil omnino de Deo affirmant, niſi quod alicuius rei creatæ, & mortalibus cognitæ ſimilitudinem habet. nam æternitatem, infinitatem, immenſitatemque diuinam, nec illi deſcribere, nec homines aſſequi potuiſ-

ſent. Angeli certè, quoties ſe mortalibus præbuere ſpectandos, toties corporis figura ſe veſtierunt, Scriptura teſte. Neget nunc, pernegetque Iconoclaſta, non licere nobis in tabellis aut tela depingere, quæ Prophetæ, & Apoſtoli in charta efformarunt. Omnis pictura, ſiue calamo, ſiue penicillo fiat, ſiue oculis, ſiue auribus hauriatur, eandem in mentibus ſpeciem generat. Quæ ſi conſultiùs examinaſſent Nouatores, cautiores fuiſſent in ſacris Iconibus proſcribendis. At periculum eſt, inquiunt, ne rudiores debitam Numini reuerentiam, rebus, quarum formas oculis cernunt, exhibeant. Numquid non eadem eſt rerum, quas audiant, conditio, & par diſcrimen? Sola anima, non oculus, aut auris peccat. Idola multi coluerunt ab ipſa natiuitate cœci; quæ licèt Chriſtiani aſſiduè olim cernerent, vt impiæ fomenta ſuperſtitionis ſpreuerunt. Auxere Martyrum palmas carnifices, quoties ijs ad falſorum numinum aras protractis occaſionem præbebant eadem coram deteſtandi. Quærere hìc mihi à Nouatoribus liceat, qui nihil omnino de Deo rudiorum oculis obijci debere contendunt, quod humanam, aliamvè rei conditæ ſpeciem referat; cur ipſi recondita diuini Verbi oracula in vernacula quæque idiomata tranſlata, ſine decore vllo, aut delectu imperitiſſimo, cuique legenda, audiendaque proponant? an quia minora fortè ex lectis, auditiſve, quàm ex viſis, religioni creentur pericula? at hoc nemo prudens dixerit. Deus quippe ſolam humanarum mentium induſtriam vel præmio, vel

vel ſupplicio dignam cenſet: huius parum intereſt, cuius demum ſenſus miniſterio illæ vtantur. Hinc primi Chriſtianæ fidei propagatores maiores noſtri, cùm cernerent laxari ſæpius hominum voces, ſermonem deficere, ipſaſque aures fatigari, fido oculorum ſubſidio aliorum ſenſuum labores faciliores, leuioreſque reddere cupientes; ea Scripturæ oracula, quibus inſtrui potiſſimùm mortales ſolent, aut viuis coloribus depicta, aut ſaxo, metalloque inciſa, videnda paſſim exponebant. Hæc ſacrarum ædium aulæa, hæc Altarium ornamenta fuerunt. Quid enim iucundius, aut vtilius Eccleſias ingredientibus occurrere poteſt, quàm exacta vitæ, geſtorumque Chriſti deſcriptio? qualis ſcilicet in præſepio naſcens, adoratus à Regibus, in Ægypto exul, in templo docens, diſputans in Synagoga, cum Diſcipulis verſans, flagellis cæſus, ſpinis coronatus, atque in Cruce mortuus; quanta cum gloria ad vitam redierit, quàm inſigni triumpho Cælum ſubierit, quàntaque cùm maieſtate ad Mundum iudicandum ſit venturus? De Deo Patre, & Spiritu Sancto non alia è ſacris Paginis deſcribi ſinit Eccleſia, quàm quæ ſummam erga Diuinitatem reuerentiam parere poſſunt. Inter quæ meritò reponenda ſunt prompta Angelorum obſequia, conſtantia Prophetarum, & Apoſtolorum in diuina voluntate promulganda ſtudia; victrices Martyrum palmæ, laureæ Confeſſorum, ac triumphales Virginum coronæ. Hæc, atque his ſimilia, quæ in vſu, atque veneratione apud Catholicos ſunt, nun-

Digitized by Google

quam deſtruent aduerſarij, niſi prius auctoritatem omnem ſacræ Scripturæ, ex qua, vt riuuli à fonte, originem trahunt, penitus abrogent. Hactenus de Imaginibus ipſis; nunc de earumdem cultu paucis agendum: cuius menſuram à perſonarum dignitate Eccleſia deſumit. Nam vt audito Dei nomine nudamus capita, ceruices inclinamus, atque in genua nonnunquam, diuina tacti veneratione, procumbimus; ita eiuſdem viſa imagine, paria honoris, & reuerentiæ ſigna prodimus. Secundùm Deum proxima eſt, quæ Deum genuit; quam ceteris omnibus anteferendam eſſe nemo, cui Filij maieſtas cognita eſt, negabit. Reliquis aulæ cæleſtis ciuibus ſuus ſingulis, ſine inuidia, aut æmulatione, gradus eſt, ac proprius iconibus honor. Quæ ſi in dubium Nouatores reuocent, ad Scripturam redeo. hanc ipſi nonniſi detecto vertice, aut poplite flexo perlegunt: ſi caſu in terram ceciderit, attollunt venerabundi: quiſquis eam minus reuerenter habuerit, punitur vt impius. & rectè. Verùm age Iconoclaſta, dic ſodes, quid tandem liber tuus præter chartam, atramentum, variatamque characterum figuram continet? ſi res meras conſideremus, nihil prorſus: ſi verborum ſignificationes, Deum, Angelos, immortales, mortaleſque, atque alia plurima tam in cælo, quàm in terra conſpicua. quæ omnia inſigni artificio pictura complectitur. Quare fatendum eſt, ſuum cultum, ac venerationem Imaginibus, rerum ſacrarum indicibus, deberi. Neque hic more ſuo Nouator aſſerat, nul-

lam

lam creaturam adorandam eſſe: nam contrarium mihi Propheta Regius imperat. *Adorate ſcabellum pedum eius*. Si ergo illa, quæ obſequio diuino inſeruiunt, adorari poſſunt: quidni idem de voluntatis Dei interpretibus, ſiue illi libri ſint, ſiue imagines, fatebimur?

ASSERTIO VIII.

De libero Arbitrio.

VVlgatum imminentis exitij ſignum inter nauigantes habetur, quando tumeſcentibus ventorum vi fluctibus exonerari ratem Nauarchus imperat. qui ſi inualeſcente deinceps tempeſtate, non modò pretioſas quaſque merces, ſed cibaria etiam mitti iubeat; tum demum extrema ſalutis deſperatio oritur. Quiſquis enim neceſſaria vitæ alimenta deſtruit, hanc produci poſſe, ſaluari autem non poſſe exiſtimans; futuram mortem haud dubiè eligit, vt ſe præſenti aliquantulum ſubtrahat. Quales cæleſtis ærarij theſauros delere conati ſint Nouatores, vt naufragantis ſuæ fidei impendens diſcrimen effugerent, ſatis ſuperque ex dictis apparet. Decalogi obſeruatio abrogata, bona opera profligata, atque ſanctioris vitæ ſtudia deluſa: cælites omni cultu & honore, beatarum Mentium patrocinio mortales, vita denique functi viuorum cura & ſuffragijs, per ſummum nefas ſpo-

liati. Iactatis hinc inde intumentium hæreſium procellis, reliqua erat Arbitrij libertas; qua, Diuino auxilio ſuffulta, homines humanam vitam ducere, & producere poſſunt. Hæc enim religionem omnem, virtuteſque, & quicquid differre à brutis animantibus facit mortales, generat, nutrit, auget. Hæc illatas ſceleratis pœnas ſpecioſo iuſtitiæ titulo laudabiles reddit; collatorumq. in egregios viros præmiorum inuidiam apud æquos rerum æſtimatores minuit. Hæc tandem illa eſt, quæ Lutherum, Caluinumque, & ceteros eorumdem impietatis aſſeclas, vel in Eccleſia Dei retinere, vel poſt apoſtaſin ad veritatis tramitem reducere poterat. Tale ergo, & tantum humanæ, æternæque vitæ ſubſidium nemo reſpuit, niſi qui eam rerum ſuarum conditionem eſſe iudicat, vt nulla ſalutis ſpes perituro ſuperſit. Verùm pergant vt cœpere, qui meliora ſuadentem audire nolunt. Mihi ſatis erit, cæleſte libertatis arbitrij donum claris Diuini verbi teſtimonijs aſſeruiſſe; à cuius partibus ipſa rationalis naturæ authoritas conſtanter pugnat: hæc enim conceſſum ſibi diuinitus priuilegium, quo in quotidianis actionibus fruitur, aduerſus iniqua aduerſariorum ſophiſmata tutabitur. Libertas porrò arbitrij in eo potiſſimum ſita eſt, vt hominem aptum, potentemque reddat ad agendum, vel non agendum; ad benè, vel malè operandum, atque ex duobus in pari cauſa obiectis vnum præ altero eligendum. Facultatem hanc Adæ primo mortalium Parenti, à Deo in ſtatu inno-

centiæ

centiæ collatam, diſertè Scriptura teſtatur Eccleſiaſt. 15. *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilij ſui. Adiecit mandata, & præcepta ſua: Si volueris mandata ſeruare, conſeruabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere. Appoſuit tibi aquam, & ignem; ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi.* Ex quo facilè conuincitur error Caluini aſſerentis, libertatem arbitrij gratia Dei tolli. Illa enim vel tum maximè præditus erat Adam, dum peccati neſcius hac potiretur ſine controuerſia. Neque arbitrium liberum inter illa Dei munera ponendum eſt, quæ ſoli Adami innocentiæ conceſſa erant. Nam illud vtpotè naturæ, non gratiæ comes, hominem ex Paradiſo profugum ſequens, fideliter ad poſteros manauit. *Teſtes inuoco hodie cælum & terram, quòd propoſuerim vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem. Elige ergo vitam, vt viuas*, Deuter. 38. & Eccleſiaſt. 31. *Quis eſt probatus in illo? qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, facere malum, & non fecit.* Addo præterea, arbitrij libertatem adeo tenaci vinculo hominibus adhærere, vt illos etiam, qui ob propria ſcelera Diuinæ iracundiæ obnoxij ſunt, non deſerat. Veritatis huius teſtem Scripturam habeo, 2. Reg. 24. vbi Dauidi grauibus adulterij, atque homicidij criminibus obſtricto dicitur: *Trium tibi datur optio: elige vnum ex his quod volueris, vt faciam tibi.* Quare ſi inſigne hoc libertatis bo-

num condito primùm homini collatum, poſt Adæ ceterorumque mortalium peccata ſuperat; non video cur Chriſti gratia, quæ à miſeræ ſeruitutis iugo nos in filiorum Dei libertatem vindicat, illud auferre debeat. Alia certè fuit ſententia D. Pauli, qui 1. Corint. 7. diſertè ſcribit: *Nam qui ſtatuit in corde ſuo firmus, non habens neceſſitatem, poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis, & hoc indicauit in corde ſuo, ſeruare virginem ſuam; benè facit.* Gratia igitur Dei nulli libertatem aufert, ſed iacentes in peccati veterno miſeros mortales, vt malo bonum præferant, excitat: mox ſi monitis pareant, laborantes adiuuat, iuſtoſque facit. Atque hinc decantata in ſcholis doctrina de triplici gratia, Excitante ſcilicet, Adiuuante, & Iuſtificante originem habet; quarum nulla liberi arbitrij vſum impedit. Scriptura profectò, quoties nos hortatur, vt relictis ſceleribus vocantem Deum ſequamur, toties docet in noſtra eſſe poteſtate obſequendi, vel contra nitendi facultatem. Atqui vtinam tales eſſemus, vt cum libertatis, vel cuiuſcunque alterius naturæ doni iactura, diuinis monitis obtemperare cogeremur. ceſſarent ingeminatæ Dei de obfirmata hominum peruicacia querelæ Ierem. 7. *Vocaui vos, & non reſpondiſtis.* & Iſai. 50. *Vocaui, & non erat qui audiret.* Hæc de gratia Excitante, vt loquuntur Theologi: quid de Adiuuante aſſerendum ſit, Apoſtolus docet 1. Corinth. 15. *Gratia eius in me vacua non fuit, ſed abundantius illis omnibus laboraui. non ego,*

ſed

Digitized by Google

ſed gratia Dei mecum. & Roman. 8. *Spiritus adiuuat infirmitatem noſtram*. Hinc nil frequentiùs in Eccleſia, dum diuina celebrantur officia, auditur, quàm illud Pſalm. 69. *Deus in adiutorium meum intende*. Hiſce poſitis, vel nemine arguente, corruit Aduerſariorum obiectio ex Scripturis deſumpta. *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*. 2. Corinth. 3. & ad Philip. 1. *Deus operatur in nobis velle & perficere*. Nam cogitare, velle, & perficere bonum non valet humana fragilitas, niſi à diuina gratia excitetur, atque in toto operis progreſſu ab eadem iuuetur. Quod verò ex 1. Corinth. 12. depromunt, facilè diluitur. *Idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus*. Nam Apoſtolus ibi agit de illis Dei donis, quæ gratis data vocantur, atque de hominum operationibus, quæ ex huiuſmodi donis promanare ſolent; quales ſunt Prophetia, varietas ſermonum, & miracula: quæ fusè ibidem enarrantur. Gratiam tandem Iuſtificantem non tollere arbitrij libertatem, flebilis Adæ in peccatum lapſus, & frequentes aliorum iuſtorum à diuinis mandatis defectiones, quotidiana ferè experientia teſtantur. Quamuis verò hæc, quæ dicta ſunt, arbitrij libertatem à vanis Aduerſariorum conatibus immunem, ſecuramque reddant; (cùm illius, non minus quàm rationis vſu frui homines, in omni vitæ ſtatu, & conditione ſacris diuini Verbi teſtimonijs probatum ſit) quia tamen non veritatis, ſed contentio-

nis

nis ſtudio, ad præſcientiam Dei confugiunt, qua libertatem euerti mentiuntur: pauca mihi de illa erunt dicenda, ſi prius Nouatorum perfidiam indicauero, qui miſeros mortales, Religionis ſpecie, in fœdas errorum voragines pertrahunt. Hi quamuis homines arbitrij libertate præditos, non modò Scriptura, verum ipſa quoque teſte experientia, ſciant; atque Deum prætereà omnes omnino mortalium operationes certò, & clarè præuidere: quoniam nihilominus libertatem cum præſcientia coniungi non poſſe abſque magna rudiorum confuſione exiſtimant, has inter ſe ita committunt, quæ ſingulæ uullam habent difficultatem, vt illa huius opera deſtructa penitus videatur. Hoc Religioni patrocinium conficitis Nouatores? Siccine panem Euangelij paruulis frangitis? Fidei ergo menſura erit intellectus veſtri capacitas, non diuinæ placita Voluntatis? Quòd ſi vos, veſtroſque aſſeclas ſacrorum myſteriorum ſublimitate opprimere, non autem eorumdem fructu paſcere decreuiſtis; cogitate Deum Trinum ſimul, & Vnum; eumdem Chriſtum Deum, & Hominem; vnam Mariam Virginem, & Matrem; atque alia plura, ad quæ humanæ vis rationis, non alio quàm Numine magiſtro, vnquam perueniſſet. Iam ad propoſitum redeo; petoque ab Aduerſarijs, num præſcientia Dei cum libertate arbitrij, quam Adæ in ſtatu innocentiæ nec ipſi denegant, conſiſtere potuerit? Et quoniam potuiſſe certum eſt (nam illa omnes Adæ actiones liberas, exiguo

guo

Digitized by Google

guo ſaltem tempore, quo in Paradiſo ſubſtitit, Deus manifeſtè cernebat) quæ ratio erit, cur in præſentia non poſſit? numquid fortè aliquid in Deo mutatum, aut diuinæ potentiæ detractum cenſebitur? hactenus pro veritate. Nouatorum Sophiſma deinceps erit ſoluendum. Si Deus, inquiunt, ab æterno præuidit Adam peccaturum, ille ſine dubio non potuit non peccare; atque ita neceſſariò peccauit. Præuidit quidem Deus ab æterno Adam aliquando peccaturum, non alia tamen virtute, quàm illa, qua eundem præuidiſſet non peccaturum, ſi reipſa non peccaſſet: Falli ergo, aut decipi potuit præſcientia Dei, ſi Adam non peccaſſet? minimè. tùm enim id quod futurum erat pari certitudine præuidiſſet, qua quod factum eſt præuidit. Neque aliam vllam neceſſitatem humanis actionibus imponit præſcientia Dei, niſi quam ipſa ex iiſdem deſumit. quod ne difficilius alicui appareat, exemplo rem totam faciam clariorem. Vidi ipſe menſe Iulio præterito adoleſcentem ex Ponte Ælio in ſubiectum Tyberim proſilientem; atque eodem tempore ſaxum ingens librantis ſe pede concuſſum in profluentem delapſum. an propterea illius ſaltus, aut huius caſus vllam ex mea viſione neceſſitatem hauſit? Verum tamen eſt, nec alia ſe ratione habere poterit, quàm iuuenem proſiluiſſe, atque ſaxum concidiſſe; quandoquidem ego vtrumque viderim. Quod videt homo, ex immenſitate ſuæ perfectionis, id præuidet Deus: qui ſingulas ſingularum rerum operationes ta-

les

les fore cognoſcit, quales reipſa futuræ ſunt, ſiue liberæ ſiue neceſſariæ. Nam ſi liberis neceſſitatem imponeret præſcientia Dei, nulla vnquam actio vel humana, vel Angelica, libera eſſe potuiſſet. Adde pro pleniore ſententiæ huius intelligentia, cognitionem, quam perfectiſſimam habere Deum fatentur omnes de rebus poſſibilibus, vt loquuntur Theologi, quæ nimirum fieri poſſunt, non tamen fient: eamque confer cum notitia, quam de rebus exiſtentibus habet. Vtraque hæc ſcientia in Deo ab æterno fuit longè certiſſima; neutra tamen cauſa eſt, cur aut poſſibilia tantum non ſint, aut exiſtentia ſint: alioquin nunquam in Dei poteſtate fuiſſet hoc producere, illud non producere. Hoc verò quàm falſum, atque abſurdum foret, nemo non videt. Præſcientia itaque Dei, veritatem, certitudinem, ac differentiam ſumit à rebus, quas cognoſcit, non vero hæ ab illa. Cuncta enim, quæ fuerunt, ſunt, aut erunt, Deus futura ſuis ſingulis momentis præuidit: poſſibilia autem præuidit quidem, ſed non futura. Atque eadem eſt de liberis, eadem de neceſſarijs ratio. Nam ſi nuda Dei ſcientia, rerum moderatrix, & efformatrix eſſet, non modò neceſſaria cum liberis, ſed poſſibilia quoque cum exiſtentibus ita eſſent confundenda, vt par omnium conditio haberetur. Dum verò hìc de Scientia, aut Præſcientia Dei loquor, illam pro attributo Diuino, ratione ſaltem ab eſſentia diſtincto, cum Theologis accipio; cùm re vera nihil in Deo ſit ab ipſo diuiſum,

qui

qui rerum omnium cauſa, origo, & conditor eſt. Hæc licèt fuſiùs de Præſcientia Dei à me dicta ſint, veniam ab æquo Lectore facilem ſpero. Mihi enim, alijſque faciendum erat ſatis in controuerſia, qua multos decipere ſolent Nouatores, tam in præſenti, quàm in materia de Prædeſtinatione. Quibus auditis, perlectiſque, ſi vllus tam hebetis naturæ, vel obſtinatæ voluntatis inueniatur, qui arbitrij libertatem cum Dei præſcientia cohærere minimè poſſe contendat: tum demum ad rude ſubtilis Scoti noſtri argumentum pro veritate defendẽda recurrere fas erit; atque impiam ignauiam, pertinaciamque tamdiù fuſtibus contundere, donec iniquiſſimæ theſeos propugnator fateatur, in arguentis eſſe poteſtate ab huiuſmodi modo & forma ſyllogiſmi abſtinere.

LAVS DEO.

Digitized by Google

ERRATA.

Pag. 12. omnino. *lege*, omnia omnino.
18. Galathas. *l.* Galatas.
23. Apoſtolum. *l.* Apoſtolorum.
26. Moyſi. *l.* Moyſis.
35. ac profana. *l.* hac?
36. quis enim. *l.* qui.
41. vtro. *l.* verò.
42. Hinc. *l.* Hine.
43. quotidiani. *l.* quotidiani?
46. miniſtrari. *l.* miniſtrare.
ibid. promulgari. *l.* promulgare.
48. orthodoſæ. *l.* orthodoxæ?
58. carne. *l.* carcere.
69. palmarum. *l.* palmarium.
73. nobis. *l.* noſtri.
81. Enuchus. *l.* Eunuchus.
90. laberinthis. *l.* labyrinthis.
101. inſigni. *l.* inſignis.
102. deſciſionis. *l.* deciſionis.
112. charitati. *l.* charitatis.
115. defectionem. *l.* defectionem.
117. nominentur. *l.* nominemur.
129. ſtrenuo. *l.* ſtrenuo oblatum.
137. ciuitates. *l.* ciuitate.
143. diximus. *l.* diſcimus.
144. venerandus. *l.* venerandas.

Sunt & alia errata vt hæreſis, baſis, & apoſtaſis quæ modò ſecundum Græcam, modò ſecundum Latinam inflexionem ſunt edita: item cæterum, ſæculum, cæpit, quæſtio, aliquando ſine diphthongo, vt multis placet. hæc & confuſas interpunctiones, nec non & literas maiuſculas pro minuſculis poſitas per te corriges mi Lector.

REGESTVM.

✠ A B C D E F G H I K.

Omnes ſunt Quaterniones.



ROMÆ, Apud Hæredem Bartholomæi Zannetti.
MDCXXIX.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

9-2

Digitized by Google